



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

NYPL RESEARCH LIBRARIES




3 3433 08156043 9





BWHK
L35. B82


Tactius
coll. works
latin
1782-1783











J. E.

C. CORNELII
TACITI
OPERA

RECOGNOVIT, EMENDAVIT,

SUPPLEMENTIS EXPLEVIT

GABRIEL BROTIER.



TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS MDCCLXXXII.

Apud Thomam Bettinelli

Cum Facultate, ac Privilegio.

U.S. GOVERNMENT
PRINTING OFFICE
WASHINGTON, D.C.
1900

THE
RECORDS OF THE
GENERAL INVESTIGATIVE
DIVISION OF THE
DEPARTMENT OF JUSTICE



THE
RECORDS OF THE
GENERAL INVESTIGATIVE
DIVISION OF THE
DEPARTMENT OF JUSTICE

B R E V I A R I U M
L I B R I U N D E C I M I .

I. *Valerius Asiaticus, Vitellii; Poppæa, Messalinæ* artibus evertuntur. IV. *Equitibus Romanis perniciem* adfert insomnium. V. *In advocatorum perfidiam* lex *Cincia* flagitatur: pecuniis, quas caperent, positus modus. VIII. *Parthi* discordant: *Bardane* cæditur: regnat *Gotarzes*. XI. *Ludi sæculares*. XII. *Insana Messalinæ & Siliii libido*. XIII. *Claudius*, matrimonii sui ignarus, munia censoria usurpat: tres novas literas addit. XV. *Senatusconsultum de haruspicum disciplina*. XVI. *Cheruscorum gens* regem *Roma* petit. XVIII. *Corbulo* *Chaucos* reprimat: alia moliturus, cæso *Gannasco*, ni *Claudius*, ducis virtutem veritus, novam in *Germanias* vim prohibuisset. XXI. *Curtii Rufi* obscuritas & incrementa. XXII. *Cn. Novius* cum ferro in *Principem* deprehensus. *Quæsturæ* origo ac vices. XXIII. De supplendo senatu agitur. *Galli*, civitate *Romana* pridem donati, jus adipiscendorum in *Urbe* honorum, causam eorum crante *Principe*, adsequuntur. XXV. *Lustrum* conditum. XXVI. *Messalina*, *Silio* palam nubit. *Claudius* trepidat: libertorum tamen impulsu in uxo-

rem & libidinum ministros animadvertit. XXXVIII.
Decreta Narcisso quaestoria insignia,

Hæc gesta annis fere duobus.

AN. U. C. ÆR. CHR.

DCCC.

47. *Coss.*

TI. CLAUDIO Cæs. IV,
L. VITELLIO III.

DCCCL.

48. *Coss.*

AULO VITELLIO,
L. VIPSANIO Publicola,





C. CORNELII TACITI

ANNALIUM

LIBER UNDECIMUS.

AN. U. C. DCCC. ÆR. CHR. 47.

*Valerius Asiaticus, Vitellii; Poppæa, Messalinæ
artibus evertuntur.*

I. **N**AM Valerium Asiaticum (1), bis consulem, fuisse quondam adulterum ejus credidit: pariterque hortis inhians (2), quos ille a Lucullo cœptos, insigni magnificentia extollebat, Suilium accusandis utrisque immittit. Adjungitur Sosibius, Britannici educator, qui per speciem benevolentiae moneret Claudium, *cavere vim atque opes* (3) principibus infensas: præcipuum auctorem Asiaticum interficiendi Cæsaris, non extimuisse in concione populi Romani

fateri (4), gloriamque facinoris ultro petere: clarum ex eo in Urbe, didita per provincias fama, parare iter ad Germanicos exercitus; quando genitus Viennæ, multisque & validis propinquitatibus subnixus, turbare gentiles nationes promptam haberet. At Claudius, nihil ultra scrutatus, citis cum militibus, tamquam opprimendo bello, Crispinum prætorii præfectum misit: a quo repertus est apud Bajas, vinculisque inditis, in Urbem raptus.

II. Neque data senatus copia: intra cubiculum auditur, Messalina coram, & Sullio corruptionem militum, quos pecunia & stupro in omni flagitio obstrictos (5) arguebat, exin adulterium Poppææ, ac postremum molliam corporis objectante. Ad quod, victo silentio (6), prorupit reus, & Interroga, inquit, Sullii, filios tuos, virum me esse fatebuntur: ingressusque defensionem, commoto majorem in modum Claudio, Messalinæ quoque lacrymas excitavit: quibus abluendis cubiculo egrediens, monet Vitellium (7), ne elabi reum sineret. Ipsa ad perniciem Poppææ festinat, subditis, qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent; adeo ignaro Cæsare, ut, paucos post dies, epulantem apud se maritum ejus Scipionem percunctaretur, cur sine uxore discubisset? atque ille fundam fatis responderet.

III. Sed consultantem super absoluteione Asiatici;



flens Vitellius commemorata vetustate amicitiae, utque Antoniam, Principis matrem, pariter observavissent, dein percursis Asiatici in rempublicam officii recentique adversus Britanniam militia, quæque alia conciliandæ misericordiæ videbantur: liberum ei mortis arbitrium permisit (8): & secuta sunt Claudii verba, in eandem clementiam. Hortantibus dehinc quibusdam inediam & lenem exitum, *remittere beneficium*, Asiaticus ait: & usurpatis, quibus insueverat, exercitationibus, lauto corpore, hilare epulatus, cum se *honestius calliditate Tiberii, vel impetu C. Cæsaris periturum* dixisset, *quam quod fraude muliebri & impudico Vitellii ore caderet* (9), venas exsolvit: viso tamen ante rogo, jussoque transferri partem in aliam, ne opacitas arborum vapore ignis minueretur. Tantum illi securitatis novissimæ fuit.

Equitibus Romanis perniciem adfert insomnium.

IV. Vocantur post hæc patres, pergitque Sullius addere reos (10) equites Romanos illustres, quibus *Petra* cognomentum (11); ac causa necis; quod domum suam Valerii & Poppææ congressibus præbuisset (12). Verum *nocturna quietis species* alteri objecta, *tamquam vidisset Claudium spicæ corona evinctum, spicis retro conversis: eaque ima-*

gine gravitatem annonæ dixisset (13). Quidam *pant-*
pineam coronam albetibus foliis visam, atque *ita*
interpretatum tradidere, vergente autumnno mortem
Principis ostendi. Illud haud ambigitur, qualicum-
 que insomnio, ipsi fratrique perniciem allatam.
 Sestertium quindicies (14), & insignia præturæ
 Crispino decreta. Adjecit Vitellius sestertium de-
 cies Sosibio: *quod Britannicum præceptis, Claudium*
consiliis juvaret. Rogatus sententiam & Scipio:
cum idem, inquit, de admissis Poppææ, sentiam,
quod omnes, putate me idem dicere, quod omnes.
 Eleganti temperamento (15) inter conjugalem amo-
 rem, & senatoriam necessitatem.

In Advocatorum perfidiam lex Cincia flagitatur:
pecuniis, quas caperent, positus modus.

V. Continuus inde & sævus accusandis reis Sui-
 lius, multique audaciæ ejus æmuli. Nam cuncta
 legum & magistratum munia in se trahens Prin-
 ceptus, materiam prædandi patefecerat: nec quidquam
 publicæ mercis tam venale fuit, quam advocatorum
 perfidia: adeo ut Samius, insignis eques Romanus,
 quadringentis nummorum millibus (16) Suilio datus,
 & cognita prævaricatione, ferro in domo ejus in-
 cubuerit. Igitur incipiente C. Silio, consule desi-
 gnato, cujus de potentia & exitio in tempore me-

thorabo, consurgunt patres, legemque Cinciam (17) flagitant; qua cavetur antiquitus, *ne quis ob causam orandam pecuniam donumvs accipiat.*

VI. Deinde obstrepentibus his, quibus ea contumelia parabatur, discors Suillio (18) Silius acriter inebuit, *veterum oratorum exempla* referens, qui *famam in posteros, præmia eloquentiæ cogitavissent pulcherrima. Alioquin & bonarum artium principem sordidis ministeriis fœdari: ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quæstum spectetur. Quod si in nullius mercedem negotia tueantur (19), pauciora fore: nunc inimicitias, accusationes, odia & injurias foveri; ut, quomodo vis morborum prætia medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat. Meminissent C. Asinii, & Messalæ, ac recentiorum Arruntii & Esernini: ad summa proventus incorrupta vita & facundia.* Talia dicente consule designato, consentientibus aliis, parabatur sententia, qua *lege repētundarum tenerentur*: cum Suillius, & Cossutianus, & ceteri, qui non iudicium (quippe in manifestos) sed pœnam statui videbant, circumstantur Cæsarem, ante acta deprecantès. Et postquam annuit, agere incipiunt (20).

VII. *Quem illum tanta superbia esse, ut æternitatem famæ spe præsumat? usui & rebus subsidium præparari, ne quis inopia advocatorum potentioribus obnoxius sit. Neque tamen eloquentiam*

gratuito contingere: omitti curas familiares, ut quis se alienis negotiis intendat: multos militia, quosdam exercendo agros tolerare vitam: nihil a quocquam expecti, nisi cujus fructus ante providerit. Facile Asinium, & Messalam, inter Antonium & Augustum bellorum præmiis refertos, aut ditium familiarum heredes Eserninos & Arruntios, magnum animum induisse. Prompta sibi exempla quantis mercedibus P. Clodius, aut C. Curio, consionari soliti sint: se, modicos senatores, quieta republica, nulla, nisi pacis, emolumenta petere (21): cogitaret plebem, quæ toga evitesceret: sublatis studiorum pretiis, etiam studia peritura. Ut minus decora hæc, ita haud frustra dicta Princeps ratus, capiendis pecuniis posuit modum, usque ad dena sestertia (22), quem egressi repetundarum tenerentur,

*Parthi discordant: Bardanes cæditur:
regnat Gotarzes.*

VIII. Sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis, & ad præsentiam Cæsaris victum memoravi (23), monente Claudio, in regnum remeavit, filius Pharasmanis opibus. Is rex Iberis, idemque Mithridatis frater, nuntiabat discordare Parthos: summaque imperii ambigua, minora sine

cura haberi. Nam inter Gotarzis pleaque sæva (qui necem fratri Artabano, conjugique ac filio ejus properaverat (24), unde metus ejus in ceteros) accivere Bardanen. Ille, ut erat magnis ausis promptus, biduo tria millia stadiorum invadit, ignarumque & exterritum Gotarzen proturbat: neque cunctatur, quin proximas præfecturas corripiat, solis Seleucensibus dominationem ejus abnuentibus: in quos, ut patris sui quoque defectores, ira magis, quam ex usu præsentis accensus, implicatur obsidione urbis validæ, & munimentis objecti amnis, muroque & comæatibus firmatæ. Interim Gotarzes, Daharum Hyrcanorumque opibus auctus, bellum renovat: coactusque Bardanes ommittere Seleuciam; Bactrianos apud campos castra contulit.

IX. Tunc, distractis Orientis viribus, & quoniam inclinarent incertis, casus Mithridati datus est occupandi Armeniam, vi militis Romani ad excidenda castellorum ardua, simulque Ibero exercitu campos persultante. Nec enim restitere Armenii, fuso, qui prælium ausus erat, Demonacte præfecto. Paullulum cunctationis attulit rex minoris Armeniæ Cotys, versis illuc quibusdam procerum; dein literis Cæsaris coercitus: & cuncta in Mithridaten fluxere, atrocior, quam novo regno conduceret. At Parthi imperatores, cum pugnam pararent, fœdus repente faciunt; cognitis popularium insidiis;

quas Gotarzes fratris F. patefecit: congressique, primo cunctantur; deinde complexi dextras, apud altaria deum pepigere, *fraudem inimicorum ulcisci, atque ipsi inter se concedere*. Potior Bardanes visus retinendo regno. At Gotarzes, ne quid æmulationis existeret, penitus in Hyrcaniam abiit: regressoque Bardani deditur Seleucia, septimo post defectionem anno; non sine dedecore Parthorum, quos una civitas tamdiu eluserat.

X. Exin validissimas præfecturas invasit: & recipere (25) Armeniam parabat, ni a Vibio Marso, Syriæ legato, bellum minitante, cohibitus foret. Atque interim Gotarzes pænitentia concessi regni, & revocante nobilitate; cui in pace durius servitium est, contrahit copias: & huic contra itum ad amnem Erinden (26): in cujus transgressu multum certato, pervicit Bardanes, prosperisque præliis medias nationes subegit ad flumen Sinden, quod Dahas Ariosque disterminat. Ibi modus rebus secundis positus: nam Parthi, quamquam victores, longinquam militiam aspernabantur. Igitur, exstructis monumentis, quibus opes suas testabatur, nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parata, regreditur: ingens gloria, atque eo ferocior, & subjectis intolerantior (27): qui dolo ante composito, incautum venationique intentum interfecere, primam intra juventam, sed claritudine paucos

Inter senum regum, si perinde amorē inter populares, quam metum apud hostes, quævisset. Nece Bārdānis turbatæ Parthorum res, inter ambiguos, quis in regnum acciperetur. Multi ad Gotarzen inclinabant; quidam ad Meherdaten, prolem Phraatis (28), obsidio nobis datum. Deinde prævaluit Gotarzes: potitusque regiam, per sævitiem ad luxum adegit Parthos mittere ad Principem Romanum occultas preces, quīs *permitteri Meherdaten patrium ad fastigium orabant,*

Ludi sæculares.

XI. Iisdem consuevis ludis sæculares (29) octingentesimo post Romam conditam, quarto & sexagesimo quam Augustus ediderat, spectati sunt. Utriusque Principis rationes prætermitto, satis narratas libris, quibus res imperatoris Domitiani composui: nam is quoque edidit ludos sæculares, iisque intentius adfui, sacerdotio quindecimvirali præditus; ac tum prætor: quod non jactantia refero, sed quia collegio quindecimvirum antiquitus ea cura, & magistratus (30) potissimum exsequebantur officia cærimoniarum. Sedente Claudio Circensibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Trojæ (31) inirent, interque eos Britannicus, imperatore genitus, & L. Domitius adoptione mox in imperium &

cognomentum Neronis adscitus, favor plebis acrior in Domitium, loco præ sagii acceptus est: vulgabaturque *advisse infantia ejus dracones in modum custodum*; fabulosa & externis miraculis adsimulata: nam ipse, haudquaquam suū detractor, *unam omnino anguem in cubiculo visam* narrare solitus est.

Iniana Messalinæ & Siliij libido.

XII. Verum inclinatio populi supererat ex memoria Germanici, cujus illa reliqua suboles virilis: & matri Agrippinæ *miseratio* augebatur, ob sævitiam Messalinæ: quæ semper infesta, & tunc commotior, quominus strueret crimina & accusatores, *provo & furori proximo amore detinebatur* (32). Nam in C. Silium (33), juventutis Romanæ pulcherrimum, ita exarserat, ut Juniam Silanam (34), nobilem feminam, matrimonio ejus exturbaret, vacuoque adultero potiretur. Neque Silius flagitii, aut periculi, nescius erat; sed certo, si abrueret, exitio, & nonnulla fallendi spe (35), simul magnis præmiis, opperiri futura, & præsentibus frai, pro solatio habebat. Illa non furtim, sed multo comitatu ventitare domum; egressibus adhærescere; largiri opes, honores; postremo, velut translata jam fortuna, servi, liberti, paratus Principis (36) apud adulterum visebantur.

Claudius, matrimonii sui ignarus, munia censoria usurpat: tres novas literas addit.

XIII. At Claudius matrimonii sui ignarus, & munia censoria usurpans, theatralē populi lasciviam severis edictis increpuit, quod in P. Pomponian (37) consularem (is cœnā scenæ dabat) inque feminas illustres probra jecerat. Et lege lata, ævitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias (38) filiis familiarum fenori darent: fontesque aquarum, ab Sibiruinis collibus (39) deductos, Urbi intulit. Ac novas literarum formas addidit, vulgavitque: comperto Græcā quoque litteraturam non simul ceptam, absolutamque.

XIV. Primi per figuras animalium (40), Egypti sensus mentis effingebant (ea antiquissima monumenta memoriæ humanæ impressa saxi cœduntur), & literarum semet inventores perhibent. Inde Phœnicas, quia mari præpellebant, intulere Græciæ, gloriæque adeptos, tamquam repererint, que acceperant. Quippe fama est Cadmeum, classe Phœnicam vectum, rudibus adhuc Græcorum populis artis ejus autorem fuisse. Quidam Cecropam Atheniensem, vel Linum Thebarum, et æsoparibus Trojanis Palamedem Argivum memorant, sexdecim literarum formas; mox alios, ac præcipuum Simoni-

*dem ceteras reperisse. At in Italia Etrusci ab Corinthio Demarato, Aborigines Arcade ab Evandro didicerunt: & formæ literis Latinis, quæ veterri-
mis Græcorum. Sed nobis quoque pauca primum
fuere: deinde additæ sunt. Quo exemplo Claudius
tres literas adjecit (41), quæ usui, imperitante eo;
post oblitteratæ, aspiciuntur etiam nunc in ære pu-
bliandis plebiscitis (42) per fora ac templa fixo.*

Senatusconsultum de haruspicum disciplina.

*XV. Retulit deinde ad senatum super collegio
haruspicum, ne vetustissima Italiæ disciplina per
desidiam exolesceret: sæpe adversis reipublicæ tem-
poribus accitos, quorum monitu redintegratas cæri-
monias, & in posterum rectius habitas: primores-
que Etruriæ sponte, aut patrum Romanorum im-
pulsu, retinuisse scientiam, & in familias propa-
gasse: quod nunc segnius fieri, publicæ circa bo-
nas artes socordia, & quia externæ superstitio-
nes valescant. Et læta quidem in præsens omnia;
sed benignitati deum gratiam referendam, ne ritus
sacrorum inter ambigua culti, per prospera obli-
terarentur. Factum ex eo senatusconsultum: vide-
rent pontifices, quæ retinenda firmandaque harus-
picum.*

Cheruscorum gens regem Roma petit.

XVI. Eodem anno Cheruscorum gens regem Roma petivit, amissis per interna bella nobilibus, & uno reliquo stirpis regiæ, qui apud Urbem habebatur, nominæ *Italicus* (43). Paternum huic genus e Flavio (44), fratre Arminii; mater ex Catumero, principe Cattorum erat. Ipse forma decorus, & armis equisque in patrium nostrumque morem exercitus. Igitur Cæsar, auctum pecunia, additis stipatoribus, hortatur *gentile decus magno animo capessere. Illum primum Romæ ortum, nec obsidem, sed civem, ire externum ad imperium.* Ac primo lætus Germanis adventus, atque eo magis, quod nullis discordiis imbutus, pari inf omnes studio ageret; celebrari, coli, modo comitatem & temperantiã nulli invisam, sæpius vinolentiam ac libidines, gratã barbaris, usurpans. Jamque ad proximos, jam longius clarescere; cum potentiam ejus suspectantes, qui factionibus floruerant, discedunt ad conterminos populos, ac testificantur, *Adimi veterem Germaniæ libertatem, & Romanas opes insurgere: adeo neminem iisdem in terris ortum, qui Principis locum impleat; nisi exploratoris Flavii progenies supra cunctos attollatur? Frustra Arminium præscribi* (45): *cujus si filius hostili in solo*

adultus, in regnum venisset, posse extimesci, infestum alimonio, servitio, cultu, omnibus externis. At, si paterna Italico mens esset, non alium infensus arma contra patriam ac deos penates, quam parentem ejus, exercuisse.

XVII. His atque talibus, magnas copias coeegere: nec pauciores Italicum sequebantur. Non enim *inrupisse ad invitos, sed accitum* memorabant: quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur, an dignam se patruo Arminio, avo Catimero, præberet. Nec patrem rubori (46), quod fidem adversus Romanos, volentibus Germanis, sumptam, numquam omisisset: falso libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias habeant. Adstrepebat huic alacre vulgus; & magno inter barbaros prælio victor rex; dein secunda fortuna ad superbiam prolapsus, pulsusque, ac rursus Langobardorum opibus reffectus, per læta, per adversa, res Cheruscas afflictabat.

Corbulo Chaucos reprimit: alia moliturus, caso Gannasco, ni Claudius, ducis virtutem veritus, novam in Germanias vim prohibuisset.

XVIII. Per idem tempus Chauci, nulla dissensione domi, & morte Sanquinii alacres, dum Cor-

bulo adventat, inferiorem Germaniam incursavere, duce Gannasco: qui natione Canninefas, auxiliaris, & diu meritus (47), post transfuga, levibus navigiis prædabundus, Gallorum maxime oram vastabat, non ignarus dites & imbelles esse. At Corbulo provinciam ingressus, magna cum cura, & mox gloria, cui principium illa militia fuit, triremes alveo Rheni, ceteras navium, ut quæque habiles, per æstuaria & fossas adegit: lintribusque hostium depressis, & exturbato Gannasco, ubi præsentia satitis composita sunt, legiones operum & laboris ignavas, populationibus lætantes, veterem ad morem reduxit: ne quis agmine decederet, nec pugnam, nisi jussus, iniret: stationes, vigiliæ, diurna nocturnaque munia, in armis agitabantur. Feruntque *militem, quia vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitos*. Quæ nimia, & incertum an falso jacta, originem tamen e severitate ducis traxere (48): intentumque & magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis etiam adversus levia credebatur.

XIX. Ceterum is terror milites hostesque in diversum adfecit: nos virtutem auximus, barbari ferociam infregere. Et natio Frisiorum, post rebellionem, clade L. Apronii (49) cœptam, infensa, aut male fida, datis obsidibus, consedit apud agros

a Corbulone descriptos. Idem senatum, magistratus, leges imposuit. Ac ne jussa exuerent, præsidium immunivit; missis, qui majores Chaucos ad deditonem pellicerent, simul Gannascum dolo adgrederentur. Nec inritæ, aut degeneres (50) insidiæ fuere adversus transfugam, & violatorem fidei. Sed cæde ejus motæ Chaucorum mentes, & Corbulo semina rebellionis præbebat; ut læta apud plerosque, ita apud quosdam sinistra fama: *Cur hostem conciret? adversa in rempublicam casura: cum prospere egisset, formidolosum paci virum insignem, & ignavo principi prægravem.* Igitur Claudius (51) adeo novam in Germanias vim prohibuit, ut referri præsidia cis Rhenum juberet.

XX. Jam castra in hostili solo molienti Corbuloni, hæ literæ redduntur. Ille re subita, quamquam multa simul offunderentur, metus ex Imperatore, contemptio ex barbaris, ludibrium apud socios, nihil aliud prolocutus, quam *Beatos quondam duces Romanos!* signum receptui dedit. Ut tamen miles otium exueret, inter Mosam Rheumque, trium & viginti millium spatio, fossam perduxit (52), qua incerta (53) Oceani vetarentur: insignia tamen triumphi indulsit Cæsar, quamvis bellum negavisset. Nec multo post Curtius Rufus eundem honorem adipiscitur, qui in agro Mattiaco (54) recluserat specus, quærendis venis argenti: unde tenuis fru-

ctus, nec in longum fuit. At legionibus cum damno labor, effodere rivos (55), quæque in aperto gravia; humum infra moliri: quæ subactus miles, & quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas literas nomine exercituum, precantium Imperatorem, *ut, quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret.*

Curtii Rufi obscuritas & incrementa.

XXI. De origine Curtii Rufi (56), quem gladiatore genitum quidam prodidere, neque falsa prompserim, & vera exsequi pudet. Postquam adolevit, sectator quæstoris, cui Africa obtigerat, dum in oppido Adrumeto vacuis per medium diei portibus secretus agit, oblata ei species muliebris (57) ultra modum humanum; & audita est vox: *Tu es, Rufe, qui in hanc provinciam pro consule venies.* Tali omine in spem sublatus, digressusque in Urbem, & largitione amicorum, simul acri ingenio, quæsturam, & mox nobiles inter candidatos præturam Principis suffragio adsequitur: cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium ejus velavisset, *Curtius Rufus videtur mihi ex se natus.* Longa post hæc senecta, & adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, consulare imperium, triumphæ insignia, ac postremo

derit. An parum, quod Veneti & Insubres curiam intruperint, nisi cœtus alienigenarum, velut captivitas, inferatur? quem ultra honorem residuis nobilium? aut si quis pauper e Latio senator foret? (68) Oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique, hostilium nationum duces, exercitus nostros ferro vique ceciderint; divum Julium apud Alesiam obsederint. Recentia hæc: quid si memoria eorum inoriretur (69), qui capitolio & arce Romana manibus eorundem prostratis. Fruerentur sane vocabulo civitatis: insignia patrum, decora magistratum, ne vulgarent.

XXIV. His atque talibus haud permotus Princeps, & statim contra disseruit; & vocato senatu, ita exorsus est. *Majores mei (70) (quorum antiquissimus Clausus, origine Sabina, simul in civitatem Romanam, & in familias patriciorum adscitus est) hortantur, uti paribus consiliis rempublicam capessam, transferendo huc, quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Julios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo; &, ne vetera scrutemur, Etruria Lucaniaque, & omni Italia, in senatum accitos. Postremo ipsam (71) ad Alpes promotam, ut non modo singuli viritim, sed terræ gentesque in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies, & adversus externa floruimus, cum Transpadani in civitatem recepti, cum specie*

deductarum per orbem terræ legionum, additis provincialium validissimis; fesso imperio subventum est. Num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse? Manent posteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis & Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noster Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit. Advenerunt in nos regnaverunt. Libertinorum filiis (72) magistratus mandari; non, ut plerique falluntur, repens, sed priori populo factitatum est. At cum Senonibus pugnavimus: scilicet Volsci & Æqui nunquam adversam nobis aciem struxere? Capti a Galis sumus. Sed & Tuscis obsides dedimus, & Samnitium jugum subivimus. Attamen si cuncta bella recenseas, nullum brevioris spatii (73); quam adversus Gallos, confectum. Continua inde ac fida pax. Jam moribus, artibus, adfinitatibus nostris mixti, aurum & opes suas inferant potius; quam separati habeant. Omnia, patres conscripti, quæ nunc vetustissima creduntur, nova fuere: plebei magistratus post patricios; Latini post plebejos; ceterarum Italiæ gentium post Latinos. Inveterascet hoc quoque: & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.

Lustrum conditum.

XXV. Orationem Principis secuto patrum consulto, primi Ædúi senatorum in Urbe jus adepti sunt: datum id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum fraternitatis nomen (74) cum populo Romano usurpant. Iisdem diebus in numerum patriciorum adscivit Cæsar vetustissimum quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus *majorum*, & L. Brutus *minorum gentium* (75) appellaverant; exhaustis etiam, quas dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Senia sublegere. Lætaque hæc in rempublicam munia, multo gaudio censoris inibantur. Famosos probris quonam modo senatu depelleret anxius, mitem & recens repertam (76), quam ex severitate prisca, rationem adhibuit: monendo, *secum quisque de se consultaret, peteretque jus exeundi ordinis: facilem ejus rei veniam: & motos senatu, & excusatos simul propositurum, ut iudicium censorum, ac pudor sponte cedentium permixti, ignominiam mollirent.* Ob ea Vipsanius consul retulit, *patrem senatus appellandum esse Claudium: quippe promiscuum patris patriæ cognomentum: nova in rempublicam merita, non usitatis vocabulis honoranda.* Sed ipse cohibuit consulem, ut nimium

assentantem: condiditque lustrum, quo censa sunt civium LXVIII. centena, & XLIII. millia. Isque illi finis inscitiae erga domum suam fuit: haud multo post, flagitia uxoris noscere ac punire adactus, ut deinde ardesceret in nuptias incestas.

*Messalina Silio palam nubit. Claudius trepidat:
libertorum tamen impulsu in uxorem &
libidinum ministros animadvertit.*

XXVI. Jam Messalina, facilitate adulterorum in fastidium versa, ad incognitas libidines profluebat; cum *abrumpi dissimulationem* etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus, urgebat. *Quippe non eo ventum, ut senectam Principis opperirentur: insontibus innoxia consilia; flagitiis manifestis (77) subsidium ab audacia petendum: adesse conscios patria metuentes. Se cælibem, orbem, nuptiis & adoptando Britannico paratum: mansuram eandem Messalinæ potentiam, addita securitate, si prævenirent Claudium, ut insidiis incautum, ita iræ properum.* Segniter hæ voces acceptæ, non amore in maritum, sed ne Silius, summa adeptus, sperneret adulteram; scelusque, inter ancipitia probatum, veris mox pretiis æstimaret: nomen tamen matrimonii concupivit; ob magnitudinem infamiae, cujus

apud prodigos (78) novissima voluptas est. *Nec* ultra exspectato, quam dum sacrificii gratia *Claudius Ostiam proficisceretur*; euncta nuptiarum solemnia celebrat:

XXVII. Haud sum ignarus fabulosum visum iri; tantum ullis mortalium securitatis fuisse, in civitate omnium gnara & nihil reticente; nedum consulem designatum (79); cum uxore principis; prædicta die, adhibitis, qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa, convenisse: atque illam audisse auspicum verba, subisse (80), sacrificasse apud deos, discubitu inter convivas, oscula, complexus; noctem denique actam licentia conjugali. Sed nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam:

XXVIII. Igitur domus Principis inhorruerat; maximeque; quos penes potentia, & si res vertent; formido; non jam secretis colloquiis; sed aperte fremere. *Dum histrio cubiculum Principis persultaverit (81), dedecus quidem inlatum; sed excidium (82) procul abfuisse: nunc juvenem nobilem, dignitate formæ, vi mentis; ac propinquo consulatu; majorem ad spem accingi: nec enim occultum, quid post tale matrimonium supereset. Subibat sine dubio metus, reputantes hebetem Claudium, & uxori devinctum; multasque mortes jussu Messalina patratas. Rursus ipsa facilitas Impera-*

toris fiduciam dabat, *si atrocitate criminis prævaluissent, posse opprimi damnatam antequam ream, Sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur, utque clausæ aures etiam confitenti forent.*

XXIX. Ac primo Callistus jam mihi circa necem Cæsaris narratus (83), & Appianæ cædis molitor Narcissus, flagrantissimaque, eo in tempore, gratia Pallas, agitavere, *num Messalinam secretis minis depellerent amore Sili, cuncta alia dissimulantes*: deinde metu, ne ad perniciem ultro traherentur, desistunt, Pallas per ignaviam, Callistus, prioris quoque regię peritus, & potentiam cautis, quam acribus, consiliis (84) tutius haberi. Perstitit Narcissus, & solum id immutans, ne quo sermone præsciam criminis & accusatoris faceret, ipse ad occasiones intentus, longa apud Ostiam Cæsaris mora, duas pellices, quarum is corpori maxime insueverat, largitione ac promissis, &, uxore dejecta, plus potentiæ ostentando, perpulit delationem subire.

XXX. Exin Calpurnia (id pellici nomen) ubi datum secretum, Cæsaris genibus provoluta, *nupsisse Messalinam Silio* exclamat. Simul Cleopatram, quæ idem opperiens adstabat, *an comperisset?* interrogat: atque illa annuente, *cieri Narcissum* postulat. Is *veniam in præteritum petens, quod ei Titios, Vectios, Plautios dissimularisset* (85),

nec nunc Silio adulteria objecturum ait, ne domum, servitia, & ceteros fortunæ paratus (86) reposceret: frueretur immo. At is redderet uxorem, rumperetque tabulas nuptiales. An discidium, inquit, tuum nosti? nam matrimonium Silii vidit populus, & senatus, & miles: ac ni propere agis, tenet Urbem maritus.

XXXI. Tum potissimum (87) amicorum vocat; primumque rei frumentariæ præfectum Turranium, post Lusium Getam, prætorianis impositum (88), percunctatur. Quibus fatentibus, certatim ceteri circumstrepunt, *iret in castra, firmaret prætorias cohortes, securitati ante, quam vindictæ, consulere.* Satis constat, eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret, *an ipse imperii potens? an Silius privatus esset?* At Messalina, non alias solutior luxu, adulto autumnio, simulacrum vindemiæ per domum celebrabat: urgeri præla, fluere lacus, & feminæ pellibus accinctæ assultabant, ut sacrificantes, vel insanientes, Bacchæ: ipsa crine fluxo, thyrsu quatiens; juxtaque Silius, hedera vinctus, gerere cothurnos, jacere caput, strepente circum procaci choro. Ferunt, Vectium Valentem, lascivia in præaltam arborem connisum, interrogantibus *quid aspiceret?* respondisse, *tempestatem ab Ostia atrocem: sive ceperat ea species (89), seu forte lapsa vox in præsagium vertit.*

XXXII. Non rumor interea, sed undique nuntii incedunt, qui *gnara Claudio cuncta, & venire promptum ultioni* afferrent. Igitur Messalina Lucullianos in hortos, Silius, dissimulando metu, ad munia fori digrediuntur. Ceteris passim dilabentibus, adfuere centuriones, inditaque sunt vincula, ut quis reperiebatur in publico, aut per latebras. Messalina tamen, quamquam res adversæ consilium adimerent (90), ire obviam, & aspici a marito, quod sæpe subsidium habuerat, haud segniter intendit, jussitque *ut Britannicus & Octavia in complexum patris pergerent*. Et Vibidiam, virginum Vestalium vetustissimam, oravit, *Pontificis maximi aures adire, clementiam expetere*. Atque interim, tribus omnino comitantibus (id repente solitudinis erat) spatium Urbis (91) pedibus emensa, vehiculo, quo purgamenta hortorum eripiuntur, Ostiensem viam intrat: nulla cujusquam misericordia, quia flagitiorum deformitas prævalebat.

XXXIII. Trepidabatur nihilominus a Cæsare: quippe Getæ, prætorii præfecto, haud satis fidebat, ad honesta, seu prava, juxta levi. Ergo Narcissus, adsumptis, quibus idem metus, *non aliam spem incolumitatis Cæsaris* affirmat, *quam si jus militum, uno illo die, in aliquem libertorum transferret: seque offert suscepturum*. Ac ne, dum in Urbem vehitur, ad pænitentiam a L. Vitellio &

P. Largo Cæcina (92) mutaretur; in eodem gestamine sedem poscit, sumitque.

XXXIV. Crebra post hæc fama fuit, inter diversas Principis voces, cum modo incusaret flagitia uxoris, aliquando ad memoriam conjugii, & infantiam liberorum revolveretur, non aliud prolocutum Vitellium, quam, *o facinus! o scelus!* Instabat quidem Narcissus *aperire ambages, & veri copiam facere*: sed non ideo pervicit, quin suspensa, &, quo ducerentur, inclinatura responderet; exemploque ejus Largus Cæcina uteretur. Et jam erat in aspectu Messalina, clamitabatque *audiret Octaviæ & Britannici matrem*: cum obstreperet accusator, *Silium & nuptias* referens. Simul codicillos, libidinum indices, tradidit, quibus visus Cæsaris averteret. Nec multo post urbem ingredienti offerebantur communes liberi, nisi Narcissus *amoveri eos* jussisset. Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia flagitaret, *ne indefensa conjunx exitio daretur*. Igitur *auditurum Principem, & fore diluendi criminis facultatem* respondit: *iret interim virgo, & sacra capesseret*.

XXXV. Mirum inter hæc silentium Claudii: Vitellius ignaro propior: omnia liberto obediebant, *Pateferi domum adulteri, atque illuc deduci Imperatorem* jubet. Ac primum in vestibulo (93) effigiem patris Silii, consulto senatus abolitam, de-

monstrat: tum quidquid habitum Neronibus (94) & Drusis, in pretium probri cecidisse: incensumque & ad minas erumpentem, castris infert, parata concione militum; apud quos, præmonente Narcisso, pauca verba fecit. Nam & si justum dolorem, pudor impediabat. Cohortium clamor dehinc continuus, *nomina reorum & pœnas flagitantium*: admotusque Silius tribunali, non defensionem, non moras tentavit, precatus *ut mors adceleraretur*. Eadem constantia & illustres equites Romanos cupidos maturæ necis fecit. Titium Proculum, custodem a Silio Messalinæ datum (95), & indicium offerentem Vestium Valentem, & confessum (96), & Pompejum Urbicum, ac Saufellum Trogum ex consociis trahi ad supplicium jubet. Decius quoque Calpurnianus, vigilum præfectus, Sulpicius Rufus, ludi procurator (97), Juncus Virgilianus, senator, eadem pœna adfecti.

XXXVI. Solus Mnester cunctationem attulit, dilaniata veste, clamitans *aspiceret verberum notas, reminisceretur vocis, qua se obnoxium jussis Messalinæ dedisset. Aliis largitione, aut spei magnitudine, sibi ex necessitate culpam: nec cuiquam ante pereundum fuisse, si Silius rerum potiretur*. Commotum his, & pronum ad misericordiam Cæsarem perpulere liberti, *ne, tot illustribus viris interfecisset, histrioni consuleretur: sponte an coactus tam*

magna peccavisset, nihil referre. Ne Trauli quidem Montani, equitis Romani, defensio recepta est: is modesta juventa, sed corpore insigni, accitus ultro, noctemque intra unam a Messalina proturbatus erat, paribus lasciviis ad cupidinem & fastidia. Suiilio Cæsonino, & Plautio Laterano mors remittitur: huic ob patruī egregium meritum (93); Cæsoninus vitiiis protectus est, tamquam, in illo fœdissimo cœtu, passus muliebria.

. XXXVII. Interim Messalina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnulla spe, & aliquando ira: tanta, inter extrema, superbia agebat. Ac nī cædem ejus Narcissus prope-ravisset, verterat (99) perniciēs in accusatorem. Nam Claudius, domum regressus, & tempestivis epulis (100) delinitus, ubi vino incaluisset, iri jubet, *nuntiarique miseræ* (hoc enim verbo usum ferunt) *dicendam ad causam postera die adesset.* Quod ubi auditum, & languescere ira, redire amor, ac si cunctarentur, propinqua nōx, & uxorii cubi-culi memoria timebantur; prorumpit Narcissus, denuntiatque centurionibus & tribuno, qui aderant, *exsequi cædem: ita Imperatorem jubere.* Custos & exactor e libertis Evodus datus. Isque raptim in hortos prægressus, reperit fusam humi, adsidente matre Lepida (101): quæ florenti filiæ haud concors, supremis ejus necessitatibus ad miseratio-

nem evicta erat; suadebatque *ne percussorem opperiretur: transisse vitam, neque aliud, quam mortis, decus quærendum*. Sed animo, per libidines corrupto, nihil honestum inerat: lacrymæque & questus inriti ducebantur; cum impetu venientium pulsæ fores, adstitit tribunus per silentium, ac libertus increpans multis ac servilibus probris.

Decreta Narcisso quaestoria insignia.

XXXVIII. Tunc primum fortunam suam introspexit, ferrumque accepit, quod frustra jugulo ac pectori per trepidationem admovens, ictu tribuni transigitur: corpus matri concessum. Nuntiatumque Claudio epulanti *perisse Messalinam*; non distincto, sua, an aliena manu: nec ille quæsit; poposcitque poculum, & solita convivio celebravit. Ne secutis quidem diebus, odii, gaudii, iræ, tristitiæ, ullius denique humani affectus signa dedit; non, cum lætantes accusatores aspiceret, non, cum filios mærentes. Juvitque oblivionem ejus senatus, censendo *nomen & effigies privatis ac publicis locis demovendas*: decreta Narcisso *quaestoria insignia*; levissimum fastigii ejus, cum supra Pallantem & Callistum ageret. Honesta quidem (102), sed ex quibus deterrima orirentur, tristitiis multis (103).



B R E V I A R I U M
L I B R I D U O D E C I M I .

I. *Claudius de matrimonio deliberat. Inter Lolliam Paullinam, Juliam Agrippinam, & Æliam Petinam certatur.* III. *Pallantis studio, suisque illecebris, Agrippina prævalet: justæ inter patruos & fratrum filias nuptiæ decreto senatus statuuntur.* VIII. *Mortem sibi consciscit Silanus: Calvina, soror ejus, Italia pellitur. Annæus Seneca ab exsilio revocatus.* IX. *Octavia, Claudii filia, Neroni desponsa.* X. *Parthi regem Roma petunt Meherdaten; qui, prælio congressus, a Gotarze vincitur. Mors Gotarzi: Vonones succedit: mox Vologeses.* XV. *Mithridates Ponti regnum recipere tentat: victus, Romam ducitur.* XXII. *Lollia & Calpurnia Agrippinæ odium pervertuntur.* XXIII. *Repetitum Salutis augurium. Pomerium Urbis prolatum: veteres ejus fines.* XXV. *Nero a Claudio adoptatur.* XXVII. *Colonia in oppidum Ubiorum deducta, ut Agrippinæ nomen inclaresceret. Catti, latrocinia agitantes, victi.* XXIX. *Vannius, Suevorum rex, pellitur regno.* XXXI. *P. Ostorii in Britannia res; & de Caractaco victoria. Ostorio, vita functo, successus A. Didius.* XLI. *Virilis toga Neroni maturata: Britannicus*

posthabitus Agrippinae artibus . XLIII. Romae prodigia , & annonae caritas . XLIV. Bellum inter Armenios Iberosque , Parthis ac Romanis gravissimorum inter se motuum causa . LII. Furius Scribonianus in exsilium actus . Mathematici Italia pulsati . LIII. Senatusconsultum de poena feminarum , quae servis conjungerentur . Pallantis , quem repertorem relationis ediderat Claudius , praemia . LIV. Commotae Judaeae quies reddita , damnato Cumanis . LV. Clitarum turbas componit Antiochus . LVI. Claudius lacum Fucinum emittit , edito prius navalis praelii spectaculo . LVIII. Causas Iliensium & Bononiensium orat Nero . Bononiensi coloniae igni haustae subventum . Reddita Rhodiis libertas . Tributum Apamiensibus in quinquennium remissum . LIX. Statilium Taurum Agrippinae evertit . LX. Procuratorum in provinciis auctoritas stabilita . LXI. Data Cois immunitas . LXII. Byzantiis tributa in quinquennium remissa . LXIV. Crebra prodigia . Lepidae mors indicta . LXVI. Claudius adversa valetudine corripitur . Agrippina , occasionis prope , infuso boletis veneno eum interimit . LXIX. Britannico Agrippinae blanditiis eluso , Nero Imperator consalutatur . Claudio caelestes honores decernuntur .

Hæc gesta annis sex.

AN. U. C. ÆR. CHR.

DCCCII. 49. *Coss.* C. POMPEJO Longino
Gallo,
Q. VERANIO.

DCCCIII. 50. *Coss.* C. ANTISTIO Vetere,
M. SUILLIO Nerviliano.

DCCCIV. 51. *Coss.* TI. CLAUDIO Cæsare V,
SER. CORNELIO Orphito.

DCCCv. 52. *Coss.* P. CORNELIO Sylla Fau-
sto,
L. SALVIO Othone Ti-
tiano.

DCCCVI. 53. *Coss.* DECIMO JUNIO Silano,
QUINTO HATERIO An-
tonino.

DCCCvII. 54. *Coss.* M. ASINIO Marcello,
MANIO ACILIO Aviola.





*Claudius de matrimonio deliberat. Inter Lolliam
Paullinam, Juliam Agrippinam, &
Æliam Petinam certatur.*

I. **C**ÆDE Messalinæ convulsa Principis domus, orto apud libertos certamine, quis deligeret uxorem Claudio, cælibis vitæ intoleranti (1), & conjugum imperiis obnoxio. Nec minore ambitu feminæ exarserant, suam quæque nobilitatem, formam, opes, contendere, ac digna tanto matrimonio ostentare. Sed maxime ambigebatur inter Lolliam Paullinam, M. Lollii consularis filiam (2), & Juliam Agrippinam, Germanico genitam: huic Pallas, illi Callistus, fautores aderant: at Ælia Petina, e familia Tuberonum, Narcisso fovebatur. Ipse modo huc, modo illuc, ut quemque suadentium audierat, promptus, discordantes in consilium vocat, ac *promere sententiam, & adjicere rationes* jubet.

II. Narcissus *vetus matrimonium, familiam communem* (3) (nam Antonia ex Petina erat) *nihil in penatibus ejus novum* disserebat, si *suenta conjunx rediret, haud quaquam novercalibus odiis usura in*

Britannicum & Octaviam, proxima suis pignora. Callistus improbatam longo discidio, ac si rursus adsumeretur, eo ipso superbam, longaque rectius Lolliam induci, quando nullos liberos genuisset, vacuam emulatione, & privignis parentis loco futuram. At Pallas id maxime in Agrippina laudare, quod Germanici nepotem secum traheret, dignum prorsus imperatoria fortuna (4); stirpem nobilem, & familiae Claudiae quae posteros conjungeret; nec femina, expertae fecunditatis, integra juventa, claritudinem Caesarum aliam in domum ferret.

*Pallantis studio, suisque illecebris, Agrippina
prævalet: justæ inter patruos & fratrum
filias nuptiæ decreto Senatus
statuuntur.*

III. Prævaluere hæc, adjuta Agrippinæ inlecebris; quæ ad eum per speciem necessitudinis crebro ventitando, pellicit patrum, ut prælata ceteris, & nondum uxor, potentia uxoria jam uteretur. Nam ubi sui matrimonii certa fuit, struere majora, nuptiasque Domitii, quem ex Cn. Ahenobarbo genuerat, & Octaviæ, Cæsaris filia, moliri: quod sine scelere perpetrari non poterat, quia L. Silano desponderat Octaviam Cæsar; juvenemque & alia clarum (5), insigni triumphalium, & gladiatorii

muneris magnificentia, protulerat ad studia vulgi. Sed nihil arduum videbatur in animo Principis, cui non iudicium, non odium erat, nisi indita & iussa.

IV. Igitur Vitellius, nomine censoris serviles fallacias obtegens, ingruentiumque dominationum provisor, quo gratiam Agrippinæ pararet, consilium ejus implicari, serere crimina in Silanum, cui sane decora & procax soror, Junia Calvina, haud multum ante Vitellii nurus fuerat: hinc initium accusationis, fratrumque (6) non incestum, sed incustoditum amorem ad infamiam traxit: & præbebat Cæsar aures, accipiendis adversum generum suspicionibus caritate filiæ promptior. At Silanus, insidiarum nescius, ac forte eo anno prætor, repente per edictum Vitellii ordine senatorio movetur, quamquam lecto pridem senatu, lustroque condito, simul adfinitatem Claudius diremit, adactusque Silanus ejurare magistratum, & reliquus præturæ dies in Eprimum Marcellum collatus est.

V. C. Pompejō, Q. Veranio consulibus, pactum inter Claudium & Agrippinam matrimonium. Jam fama, jam amore illicito firmabatur, nec dum celebrare solemnia nuptiarum audebant, nullo exemplo deductæ in domum patris fratris filiæ. Quia

& incestum, ac, si (7) sperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur. Nec ante omisa cunctatio, quam Vitellius suis artibus id perpetrandum sumpsit. Percunctatusque Cæsarem, *an jussis populi, an auctoritati senatus cederet?* ubi ille *unum se civium, & consensui* (8) *imparem* respondit, *opperiri intra palatium* jubet: ipse curiam ingreditur, summamque rempublicam agi obtestans, veniam dicendi ante alios exposcit, orditurque; *Gravissimos Principis labores, quibus orbem terræ capessat, egere adminiculis, ut domestica cura vacuus, in commune consulat: quod porro honestius censoriæ mentis* (9) *levamen, quam adsumere conjugem, prosperis dubiisque sociam? cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradat; non luxui, aut voluptatibus adsuëfactus, sed qui prima ab juvena legibus obtemperavisset.*

VI. Postquam hæc favorabili oratione præmisit, multa que patrum assentatio sequebatur; capto rursus initio, *Quando maritandum Principem cuncti suaderent, deligi oportere feminam nobilitate, puerperiis, sanctimonia insignem. Nec diu anquirendum, quin Agrippina claritudine generis anteiret: statum ab ea fecunditatis experimentum; & congruere artes honestas. Id vero egregium, quod, provisu deum, vidua* (10) *jungeretur Principi, sua tantum matrimonia experto: audivisse a parentibus,*

vidisse ipsos (11), arripi conjuges ad libita Casarum; procul id a presenti modestia: statueretur immo documentum, quo (12) uxorem Imperator acciperet. At enim nova nobis in fratrum filias conjugia, sed aliis gentibus solemnia, neque lege ulla prohibita. Et sobrinarum (13) diu ignorata, tempore addito percrebuisse: morem accommodari prout conducatur; & fore hanc quoque in bis, quæ mox usurpentur.

VII. Haud defuere, qui certatim, si cunctaretur Cæsar, vi aëuros testificantes, erumperent curia. Conglobatur promiscua multitudo, populumque Romanum eadem rogare clamitat. Nec Claudius ultra expectato, obvium apud forum præbet se grantibus; senatumque ingressus decretum postulat, quo justæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur. Neque tamen repertus est, nisi unus talis matrimonii cupitor, T. Alledius Severus, eques Romanus, quem plerique Agrippinæ gratia impulsum ferebant. Versa ex eo civitas, & cuncta feminæ obediebant, non per lasciviam, ut Messalina, rebus Romanis inludenti. Adductum, & quasi virile (14), servitium, Palam severitas, ac sæpius superbia: nihil domi impudicum, nisi dominationi expediret: cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur.

*Mortem sibi consciscit Silanus : Calvina ,
soror ejus , Italia pellitur . Annaeus
Seneca ab exilio revocatus .*

VIII. Die nuptiarum Silanus sibi mortem conscivit : sive eo usque spem vitæ produxerat ; seu delecto die , augendam ad invidiam . Calvina , soror ejus , Italia pulsa est . Addidit Claudius , *sacra ex legibus Tulli regis* (15) , *piaculaque apud lucum Dianæ per pontifices danda* : inridentibus cunctis , quod pœnæ prôcurationesque incesti id temporis exquirerentur . At Agrippina , ne malis tantum facinoribus notesceret , veniam exilii pro Annæo Seneca (16) , simul præturam impetrat , lætum in publicum rãta , ob claritudinem studiorum ejus ; utque Domitii pueritia tali magistro adolesceret , & consiliis ejusdem ad spem dominationis uterentur : quia Seneca fidus in Agrippinam , memoria beneficii , & infensus Claudio , dolore injuriæ , credebatur .

Octavia , Claudii filia , Neroni desponsa .

IX. Placitum dehinc , non ultra cunctari : sed designatum consulem , Memmium Pollionem , ingentibus promissis inducit , sententiam expromere ,

qua oraretur Claudius, *despondere Octaviam Domitio*: quod ætati utriusque non absurdum, & majora patefacturum erat. Pollio haud disparibus verbis, ac nuper Vitellius, censet: despondetur Octavia: ac super priorem necessitudinem, sponsus jam & gener Domitius æquari Britannico, studiis matris, & arte eorum, quis ob accusatam Messalinam ultio ex filio timebatur.

Parthi regem Romam petunt Meherdaten, qui, prælio congressus, a Gotarze vincitur.

Mors Gotarzis: Vonones succedit:

mox Vologeses.

X. Per idem tempus legati Parthorum ad expectandum, ut retuli (17), Meherdaten missi, senatum ingrediuntur, mandata in hunc modum incipiunt: *Non se fœderis ignaros, nec defectione a familia Arsacidarum venire: sed filium Vononis, nepotem Phraatis, accedere adversus dominationem Gotarzis, nobilitati plebique juxta intolerandam. Jam fratres, jam propinquos, jam longius sitos, cædibus exhaustos: adjici conjuges gravidas, liberos parvos, dum socors domi, bellis infaustus, ignaviam sævitia tegat. Veterem sibi ac publice ceptam nobiscum amicitiam; & subveniendum sociis, virium æmulis, cedentibusque per reverentiam. Ideo regum*

obsides liberos dari, ut si domestici imperii tædeat, sit regressus ad Principem patresque, quorum moribus adsuefactus rex melior adscisceretur.

XI. Ubi hæc atque talia dissertavere, incipit orationem Cæsar de fastigio Romano, Parthorumque obsequiis: seque divo Augusto adæquabat, petitum ab eo regem referens, omissa Tiberii memoria, quamquam is quoque miserat (18). Addiditque præcepta (etenim aderat Meherdates) *ut non dominationem igni servos, sed rectorem igni civis cogitaret, clementiamque ac justitiam, quanto ignara (19) barbaris, tanto tolerationora capesseret.* Hinc versus ad legatos, extollit laudibus alumnum Urbis, spectatæ ad id modestiæ; ac tamen ferenda regum ingenia, neque usui crebras mutationes: rem Romanam huc satietate gloriæ provectam, ut externis quoque gentibus quietem velit. Datum post hæc C. Cassio, qui Syriæ præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis.

XII. Ea tempestate Cassius ceteros præeminebat pericia legum: nam militares artes per otium ignotæ, industriosque aut ignavos (20) pax in æquo tenet. Attamen, quantum sine bello dabatur, revocare priscum morem, exercere legiones, cura, provisu, perinde agere, ac si hostis ingrueret: ita dignum majoribus suis, & familia Cassia ratus, per illas quoque gentes celebrata (21). Igitur excitis,

quorum de sententia petitus rex, positisque castris apud Zeugma, unde maxime pervius amnis, postquam inlustres Parthi rexque Arabum Abgarus advenerat; monet Meherdaten, *barbarorum impetus acres cunctatione languescere, aut in perfidiam mutari: itaque urgeret cœpta*. Quod spretum fraude Abgari, qui juvenem ignarum, & summam fortunam in luxu ratum, multos per dies attinuit apud oppidum Edessam. Et vocante Carrhene, *promptasque res ostentante, si citi advenissent, non cominus Mesopotamiam, sed flexu Armeniam petunt, id temporis importunam, quia hiems occipiebat*.

XIII. Exin nivibus & montibus fessi, postquam campos propinquabant, copiis Carrhenis adjunguntur. Transmissoque amne Tigri, permeant Adiabenos, quorum rex Izates societatem Meherdati palam induerat: in Gotarzen per occulta & magis fida inclinabat. Sed capta in transitu (22) urbs Ninos, vetustissima sedes Assyriæ, & Arbela, castellum insigne fama, quod postremo inter Darium atque Alexandrum prælio Persarum illic opes concliderant. Interea Gotarzes apud montem, cui nomen *Sambulos*, vota diis loci suscipiebat, præcipua religione Herculis: qui, tempore stato, per quietem monet sacerdotes, *ut, templum juxta, equos venatui adornatos sistant*. Equi, ubi pharetras te,

lis onustas acceperere, per saltus vagi, nocte demum vacuis pharetris, multo cum anhelitu redeunt. Rursus deus, qua silvas pererraverit, nocturno visu demonstrat: reperiunturque fusæ passim feræ.

XIV. Ceterum Gotarzes, nondum satis aucto exercitu, flumine Corma pro munimento uti: & quamquam per insectationes & nuntios ad prælium vocaretur, neclere moras, locos mutare, & misis corruptoribus, exuendam ad fidem hostes emerari. Ex quibus Izates Adiabenus (23), mox Abgarus Arabum, cum exercitu abscedunt, levitate gentili, & quia experimentis cognitum est, barbaros malle Roma petere reges, quam habere. At Meherdates, validis auxiliis nudatus, ceterorum proditione suspecta, quod unum reliquum, rem in casum dare, prælioque experiri statuit. Nec detrectavit pugnam Gotarzes, deminutis hostibus ferox. Concursumque magna cæde, & ambiguo eventu: donec Carrhenem, profligatis obversis longius eversum, integer a tergo globus circumveniret. Tum omni spe perditâ, Meherdates promissa Parrhacis, paterni clientis, secutus, dolo ejus vincitur; traditurque victori. Atque ille *non propinquum, neque Arsacis de gente, sed alienigenam & Romanum* increpans, auribus decisis vivere jubet, ostentui clementiæ suæ, & in nos dehonestamento. Dein Gotarzes morbo obiit, accitusque in regnum Vonones, Medis tum

præsicens. Nulla huic prospera, aut adversa, quis memoraretur. Brevis & inglorio imperio perfunctus est: resque Parthorum in filium ejus Vologesen translatae,

*Mithridates Ponti regnum reciperare tentat:
victus, Romam ducitur.*

XV. At Mithridates Bosphoranus, amissis opibus vagus, posteaquam Didium ducem Romanum, roburque exercitus abisse cognoverat, relictos in novo regno Cotyn, juvena rudem, & paucas cohortium cum Julio Aquila, equite Romano; spretis utrisque, concire nationes, inlicere perfugas, postremo exercitu coacto, regem Dandaridarum exturbat, imperioque ejus potitur. Quæ ubi cognita, & jam jamque Bosphorum invasurus habebatur, diffusi propriis viribus Aquila & Cotys; quia Zorsines, Siracorum (24) rex, hostilia resumpserat, externas & ipsi gratias quæsivere, missis legatis ad Eunonen, qui Aorsorum genti præcellebat. Nec fuit in arduo societas, potentiam Romanam adversus rebellem Mithridaten ostendantibus. Igitur pigere, *equestribus præliis Eunones certaret; obsidia urbium Romani capesserent.*

XVI. Tum composito agmine incedunt: cujus frontem & terga Aorsi; media cohortes, & Bos-

phorani tutabantur, nostris in armis (25). Sic pulsus hostis; ventumque Sôzam, oppidum Dandaricæ, quod desertum a Mithridate, ob ambiguos popularium animos obtineri, relicto ibi præsidio, visum. Exin in Siracos pergunt. Et transgressi amnem Pandam, circumveniunt urbem Uспен, editam loco, & mœnibus ac fossis munitam, nisi quod mœnia non saxo, sed cratibus revinctis, ac media humo (26), adversum inrumpentes invalida erant: eductæque altius turres, facibus atque hastis turbabant obsessos: ac ni proelium nox diremisset, cœpta patrataque expugnatio eundem intra diem foret.

XVII. Postero misere legatos, *veniam liberis corporibus* orantes: *servitii decem millia* offerebant: quod aspernati sunt victores, quia trucidare deditos sævum, tantam multitudinem custodia cingere arduum: ut belli potius jure caderent (27). Datumque militibus, qui scalis evaserant, signum cædis. Excidio Uспенсium metus ceteris injectus, nihil tutum ratis, cum arma, munimenta, impediti vel eminentes loci, amnesque & urbes juxta percurrerentur. Igitur Zorsines, diu pensitato, Mithridatisne rebus extremis, an patrio regno consuleret; postquam prævaluit gentilis utilitas, datis obsidibus, apud effigiem Cæsaris (28) procubuit, magna gloria exercitus Romani, quem incruentum & victo-

rem, tridui itinere abfuisse ab amne Tanai constitit. Sed in regressu dispar fortuna fuit; quia navium quasdam, quæ mari remeabant, in litora Taurorum delatas circumvenere barbari, præfecto cohortis & plerisque centurionum interfectis (29).

XVIII. Interea Mithridates, nullo in armis subsidio, consultat, cujus misericordiam experiretur. Frater Cotys, proditque olim, deinde hostis, metuebatur. Romanorum nemo id auctoritatis aderat, ut promissa ejus magni penderentur. Ad Eunonem convertit, propriis odiis non infensum (30), & recens conjuncta nobiscum amicitia validum. Igitur cultu, vultuque quam maxime ad præsentem fortunam comparato, regiam ingreditur, genibusque ejus provolutus, *Mithridates, inquit, terra marique Romanis per tot annos quæsitus, sponte adsum. Utere, ut voles, prole magni Achæmenis, quod mihi solum hostes non abstulerunt.*

XIX. At Eunonem claritudine viri, mutatione rerum, & prece haud degenerere permotus, adlevat supplicem, laudatque *quod gentem Aorsorum, quod suam dexteram petendæ veniæ delegerit.* Simul legatos literasque ad Cæsarem in hunc modum mittit: *Populi Romani imperatoribus, magnarumque nationum regibus, primam ex similitudine fortunæ amicitiam: sibi & Claudio, etiam communionem victoriæ esse. Bellerum egregios fines, quotiens igno-*

scendo transigatur (31). Sic Zorsini victo nihil ereptum. Pro Mithridate, quando gravius mereretur, non potentiam, non regnum precari; sed ne triumpharetur, neve pœnas capite expenderet (32).

XX. At Claudius, quamquam nobilitatibus externis mitis, dubitavit tamen, accipere captivum pacto salutis, an repetere armis, rectius foret. Huc dolor (33) injuriarum, & libido vindictæ adigebat. Sed disserebatur contra: *Suscipi bellum avio itinere, importuoso mari: ad hoc reges feroces; vagos populos; solum frugum egens: tum tædium ex mora, pericula ex properantia; modicam victoribus laudem, ac multum infamiæ, si pellerentur: quin arriperet oblata, & servaret exsulem: cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore.* His permotus, scripsit Eunoni, *meritum quidem novissima exempla (34) Mithridatem, nec sibi vim ad exsequendum deesse: verum ita majoribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum: nam triumphos de populis regnisque integris (35) adquiri.*

XXI. Traditus post hoc Mithridates, vestusque Romam per Junium Cilonem, procuratorem Ponti, ferocius, quam pro fortuna, disseruisse apud Cæsarem ferebatur. Elataque vox ejus in vulgum hisce verbis: *Non sum remissus ad te, sed reversus (36): vel, si non credis, dimitte, & quære.* Vultu quo-

que interrito permansit, cum rostra juxta, custodibus circumdatus, visui populo præberetur. Consularia insignia (37) Ciloni, Aquilæ prætoria discernuntur.

Lollia & Calpurnia Agrippinæ odiis pervertuntur.

XXII. Iisdem consulibus, atrox odii Agrippina, ac Lollia infensa, quod secum de matrimonio Principis certavisset, molitur crimina & accusatorem, qui objiceret *Chaldæos, magos, interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum, super nuptiis Imperatoris*. Exin Claudius, inaudita rea, multa de claritudine ejus apud senatum præfatus, *sorore L. Volusii genitam, majorem ei patrum Cottam Messalinum esse, Memmio quondam Regulo nuptam;* (nam de C. Cæsaris nuptiis consulto reticebat) addidit *perniciosa in rempublicam consilia, & materiem sceleri detrahendam. Proin, publicatis bonis, cederet Italia*. Ita quinquagies sestertium (38) ex opibus immensis exsuli relictum. Et Calpurnia inlustris femina pervertitur, quia formam ejus laudaverat Princeps, nulla libidine, sed fortuito sermone: unde vis Agrippinæ citra ultima (39) stetit. In Lolliam, mittitur tribunus, a quo ad mortem adigeretur. Damnatus & lege repetundarum Cadius Rufus, accusantibus Bithynis.

*Repetitum Salutis Augurium. Pomerium Urbis
prolatum: veteres ejus fines.*

XXIII. Galliae Narbonensi, ob egregiam in patres reverentiam, datum, ut senatoribus ejus provinciae (40), non exquisita Principis sententia, jure, quo Sicilia haberetur, res suas involvere liceret. Ituraeque & Judaei, defunctis regibus, Sohemo atque Agrippa, provinciae Syriae additi. Salutis augurium (41) quinque & viginti annis omissum repeti, ac deinde continuari placitum. Et pomerium Urbis auxit Cæsar more prisco; quo iis, qui protulere Imperium, etiam terminos Urbis propagare datur. Nec tamen duces Romani, quamquam magnis nationibus subactis, usurpaverant, nisi L. Sulla, & divus Augustus,

XXIV. Regum in eo ambitio, vel gloria, varie vulgata. Sed initium condendi, & quod pomerium Romulus posuerit, noscere haud absurdum reor. Igitur a foro boario, ubi æreum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi cœptus, ut magnam Herculis aram amplecteretur. Inde certis spatiis interjecti lapides, per ima montis Palatini ad aram Consi, mox ad Curias veteres (42), tum ad sacellum Larium forumque Romanum, Capitolium non a

Romulo, sed a T. Tatio additum Urbi credidere. Mox pro fortuna pomerium auctum. Et quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu, & publicis actis perscriptum.

AN. U. C. DCCCIII. ÆR. CHR. 50.

Nero a Claudio adoptatur.

XXV. C. Antistio, M. Sullio consulibus, adoptio in Domitium, auctoritate Pallantis, festinatur: qui obstrictus Agrippinæ, ut conciliator nuptiarum, & mox stupro ejus inligatus, stimulabat Claudium, consuleret republicæ, Britannici pueritiam robore circumddret. Sic apud divum Augustum; quamquam neposibus subnixum, viguisse privignos: a Tiberio, super propriam stirpem, Germanicum subsumptum. Se quoque accingens juvenem, partem curarum capepsituro. His evictus, biennio majorem (43) natu Domitium filio anteponebat, habita apud senatum oratione in eundem, quem a liberto acceperat, modum. Adnotabant periti, nullam antehac adoptionem (44) inter patricios Claudios reperiri, eosque ab Atto Clauso continuos duravisse.

XXVI. Ceterum astæ Principi grates, exquisitiore in Domitium adulatione: rogataque lex (45), qua in familiam Claudiam in nomen Neronis tran-

siret. Augetur & Agrippina cognomento *Augustæ* ; quibus patris, nemo adeo expertus misericordiæ fuit, quem non Britannicæ fortunæ mæror adficeret: desolatus (46) paulatim etiam servilibus ministeriis, intempestiva novercæ officia in ludibria vertebat, intelligens falsi. Neque enim segnem ei fuisse indolem ferunt: sive verum; seu periculis commendatus, retinuit famam sine experimento (47).

- Colonia in oppidum Ubiorum deducta, ut Agrippinæ nomen inclaresceret. Catti, latrocinia agitantes, viſi.

XXVII. Sed Agrippina, quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque (48) deduci impetrat; cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. At forte acciderat, ut eam gentem, Rheno transgressam, avus Agrippa in fidem acciperet. Iisdem temporibus in superiore Germania trepidatum, adventu Cattorum, latrocinia agitantium. Deinde L. Pomponius, legatus, auxiliares Vangionas ac Neimetas, addito equite alario (49), monuit, *ut anteirent populatores, vel dilapsis improvisi circumfunderentur.* Et secuta consilium ducis industria militum, divisique in duo agmina, qui lævum iter petiverant, recens reversos, prædaque per luxum

usos & somno graves, circumvenere. Aucla lætitia, quod quosdam e clade Variama, post quadragessimum annum, servitio exemerant.

XXVIII. At qui dextris & propioribus compendiis ierant, obvio hosti & aciem auso, plus cladis faciunt. Et præda famaue onustî, ad montem Taunum (50) revertuntur, ubi Pomponius cum legionibus opperiebatur, si Catti, cupidine ulciscendi, casum pugnae præberent. Illi metu, ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum quibus æternum discordant, circumgrederentur, legatos in Urbem & obsides misere: decretusque Pomponio triumphalis honos; modica pars famæ ejus apud posteros, in quibus carminum gloria præcellit.

Vannius, Suevorum rex, pellitur regno.

XXIX. Per idem tempus Vannius, Suevis a Druso Cæsare impositus (51), pellitur regno, prima imperii ætate clarus, acceptusque popularibus; mox diuturnitate in superbiam mutans, & odio acolarum, simul domesticis discordiis circumventus. Auctores fuere Vibilius (52), Hermundurorum rex, & Vangio ac Sido, sorore Vannii geniti. Nec Claudius, quamquam sæpe oratus, arma certantibus barbaris interposuit, tutum Vannio perfugium promittens, si pelleretur; scripsitque P. Attelio

Histro (53), qui Pannoniæ præsidebat, *legionem, ipsaque e provincia lecta auxilia, pro ripa componeret, subsidio victis, & terrori adversus victores, ne fortuna elati, nostram quoque pacem turbarent.* Nam vis innumera, Ligii, aliæque gentes adventabant, fama ditis regni, quod Vannius xxx per annos prædationibus & vectigalibus auxerat. Ipsi manus propria pedites, eques e Sarmatis Jazygibus (54) erat, impar multitudini hostium: eoque castellis sese defensare, bellumque ducere statuerat.

XXX. Sed Jazyges, obsidionis impatientes, & proximos per campos vagi, necessitudinem pugnae attulere, quia Ligius Hermundurisque illic ingrue- rant. Igitur degressus castellis (55) Vannius, funditur prælio: quamquam rebus adversis laudatus, *quod & pugnam manu capessit, & corpore adverso vulnera excepit.* Ceterum ad classem, in Danubio opperientem, perfugit. Secuti mox clientes, &, acceptis agris, in Pannonia locati sunt. Regnum Vangio ac Sido inter se partivere (56), egregia adversus nos fide: subjectis, suone, an servitii ingenio (57), dum adipiscerentur dominationes, multa caritate, & majore odio, postquam adepti sunt.

*P. Ostorii in Britannia res; & de Caradaco
victoria. Ostorio, vita functo, suffe-
ctus A. Didius.*

XXXI. At in Britannia P. Ostorium, proprætorem, turbidæ res exceperunt, effusis in agrum sociorum hostibus, eo violentius, quod novum ducem, exercitu ignoto, & cœpta hieme, iturum obviam non rebantur. Ille gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit: & cæsis, qui restiterant, disiectos consecutus, ne rursus conglobarentur, infensaque & infida pax non duci, non militi, requiem permetteret, detrahente arma suspectis, cinctosque castris (58) Antonam & Sabriam, fluvios, cohibere parat. Quod primi Icenæ abnuere, valida gens, nec præliis contusi, quia societatem nostram volentes accesserant: hisque auctoribus, circumjectæ nationes locum pugnæ delegere, septum agresti aggere, & aditu angusto, ne pervius equiti foret. Ea munimenta dux Romanus, quamquam sine robore legionum sociales copias ducebat, percurrere adgreditur, & distributis cohortibus, turmas quoque, peditum ad munia accingit. Tunc, dato signo, perfringunt aggerem, suisque claustris impeditos turbant. Atqui illi conscientia rebellionis, & obseptis effugiis, multa & clara fa-

cinora fecere. Qua pugna filius legati, M. Ostotius, servati civis decus meruit.

XXXII. Ceterum clade Icenorum compositi, qui bellum inter & pacem dubitabant; & ductus in Cangos exercitus (59). Vastati agri, prædæ passim actæ: non ausis aciem hostibus, vel, si ex occulto carpere agmen tentarent, punito dolo. Jam ventum haud procul mari, quod Hiberniam insulam aspectat; cum ortæ apud Brigantas discordiæ retrahere ducem, destinationis certum, ne nova moliretur, nisi prioribus firmatis. Et Brigantes quidem, paucis, qui arma cœptabant, interfectis, in reliquos data venia, resedere. Silurum gens, non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret, castrisque legionum premenda foret. Id quo promptius veniret, colonia Camulodunum vâlda veteranorum manu deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles (60), & imbuendis sociis ad officia legum.

XXXIII. Itum inde in Siluras, super propriam ferociam, Caractaci viribus confisos: quem multa ambigua, multa prospera extulerant, ut ceteros Britannorum imperatores præmineret. Sed tum astu, tum locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in Ordovicas, additisque, qui pacem nostram metuebant, novissimum casum experitur: sumpto ad prælium loco, ut aditus, abscessus,

cuncta nobis importuna, & suis in melius essent. Tunc montibus arduis, & si qua clementer accedi poterant, in modum valli saxa præstruit: & præfluebat amnis vado incerto, catervaque majorum (61) pro munimentis constiterant.

XXXIV. Ad hoc gentium ductores circumire, hortari, firmare animos, minuendo metu, accendenda spe, aliisque belli incitamentis. Enimvero Caractacus huc illuc volitans, *illum diem, illam aciem testabatur, aut recipiendæ libertatis, aut servitutis æternæ initium fore* (62): vocabatque nomina majorum, qui dictatorem Cæsarem pepulissent: *quorum virtute vacui a securibus* (63) & *tributis, intemerata conjugum & liberorum corpora retinerent*. Hæc atque talia dicenti, adstrepere vulgus; gentili quisque religione obstringi, *non telis, non vulneribus cessuros*.

XXXV. Obstupefecit ea alacritas ducem Romanum: simul objectus amnis, additum vallum, imminetia juga, nihil nisi atrox & propugnatoribus frequens, terrebat. Sed miles prælium poscere, *cuncta virtute expugnabilia* clamitare, præfectique ac tribuni paria disserentes, ardorem exercitus incendebant. Tum Ostorius, circumspectis, quæ impenetrabilia, quæque pervia, ducit infensos, amnemque haud difficulter evadit. Ubi ventum ad aggerem, dum missilibus certabatur, plus vulnerum

in nos, & pleræque cædes oriebantur. Posteaquam, facta testudine, rudes & informes saxorum compages distractæ, patque cominus acies, decedere barbari in juga montium. Sed eo quoque inrupere ferentarius gravisque miles (64): illi, telis adsultantes, hi, conferto gradu; turbatis contra Britanorum ordinibus, apud quos nulla loricarum galearumve tegmina: & si auxiliaribus resisterent, gladiis ac pilis legionariorum; si huc verterent, spathis (65) & hastis auxiliarium sternebantur: clara ea victoria fuit, captaque uxore & filia Caractaci, fratres quoque in deditionem accepti.

XXXVI. Ipse (ut ferme intuta sunt adversa) cum fidem Cartismanduæ, reginæ Brigantum, petivisset, vincus ac victoribus traditus est, nono post anno, quam bellum in Britannia cœptum. Unde fama ejus evecta insulas, & proximas provincias pervagata, per Italiam quoque celebrabatur: avebantque visere, quis ille, tot per annos, opes nostras sprevisset. Ne Romæ quidem ignobile Caractaci nomen erat. Et Cæsar, dum suum decus extollit, addidit gloriam victo. Vocatus quippe, ut ad insigne spectaculum, populus. Stetere in armis prætoriaræ cohortes, campo, qui castra præjacet. Tum, incedentibus regiis clientelis, phaleræ (66) torquesque, quæque externis bellis quæsierat, traducta; mox fratres, & conjunx, & filia: postremo ipse

ostentatus. Ceterorum preces degeneres fuere, ex metu. At non Caractacus, aut vultu demisso, aut verbis, misericordiam requirens, ubi tribunali adstitit, in hunc modum locutus est.

XXXVII. *Si, quanta nobilitas & fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus potius in hanc Urbem, quam captus venissem: neque dedignatus esses claris majoribus ortum, pluribus gentibus imperitantem, fœdere pacis accipere. Præsens sors mea, ut mihi informis, sic tibi magnifica est: habui equos, viros, arma, opes: quid mirum, si hæc invito amisi? Non, si vos omnibus imperitare vultis, sequitur, ut omnes servitutem accipiant. Si statim deditus traderer; neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruisset, Supplicium mei oblivio sequetur: at si incolumem servaveris, æternum exemplar clementiæ ero. Ad ea Cæsar veniam ipsique, & conjugii, & fratribus tribuit. Atque illi, vinculis exsoluti, Agrippinam quoque haud procul alio suggestu conspicuam, iisdem, quibus Principem, laudibus gratibusque venerati sunt. Novum sane, & moribus veterum insolitum, feminam signis Romanis præsidere. Ipsa semet parti a majoribus suis imperii (67) sociam ferebat.*

XXXVIII. Vocati posthac patres, multa & magnifica super captivitate Caractaci disseruere: Ne-

que minus id clarum, quam cum Siphacem P. Scipio, Persen L. Paullus, & si qui alii victos reges populo Romano ostendere. Censentur Ostoria triumphi insignia, prosperis ad id rebus ejus, mox ambiguis: sive, quod, amoto Caractaco, quasi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit; sive hostes, miseratione tanti regis, acrius ad ultionem exarsere. Præfectum castrorum, & legionarias cohortes extruendis apud Siluras præsiidiis relictas, circumfundunt. Ac ni cito vicis & castellis (68) proximis subventum foret, copiæ tum occidione occubuissent. Præfectus tamen & octo centuriones, ac promptissimus quisque manipulus cecidere: nec multo post pabulantes nostros, missasque ad subsidium turmas profigant.

XXXIX. Tum Ostorius cohortes expeditas exposuit: nec ideo fugam sistebat, ni legiones prælium excepissent. Earum robore æquata pugna, dein nobis pro meliore fuit. Effugere hostes (69) tenui damno, quia inclinabat dies. Crebra hinc prælia, & sæpius in modum latrocinii: per saltus, per paludes; ut cuique sors, aut virtus: temere, proviso; ob iram, ob prædam; jussu, & aliquando ignaris ducibus: ac præcipua Silurum pervicacia, quos accendebat vulgata imperatoris Romani vox: *ut quondam Sugambri (70) excisi, & in Gallias trajecti forent, ita Silurum nomen penitus extin-*

guen-

guendum. Igitur duas auxiliares cohortes, avaritia præfectorum incautius populantes, interceptere. Spoliaque & captivos largiendo; ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant; cum tædio curarum fessus Ostorius, concessit vita, lætis hostibus, tamquam ducem haud spernendum, etsi non prælium, at certe bellum, absumpsisset.

XL. At Cæsar, cognita morte legati, ne provincia sine rectore foret, A. Didium suffecit. Is properè vēctus, non tamen integras res invenit; adversa interim legionis pugna, cui Manlius Valens præerat: auctaque & apud hostes ejus rei fama, quo venientem ducem exterrere; atque illo augente audita, ut major laus compositis (71); vel, si duravissent, venia justior tribueretur. Silures id quoque damnum intulerant, lateque persultabant, donec accursu Didii pellerentur. Sed post captum Caractacum, præcipuus scientia rei militaris Venuisius, e Brigantum civitate, ut supra memoravi, fidusque diu, & Romanis armis defensus; cum Cartismanduam reginam matrimonio teneret, mox orto discidio, & statim bello, etiam adversus nos hostilia induerat. Sed primo tantum inter ipsos certabatur, callidisque Cartismandua artibus, fratrem ac propinquos Venusii intercepti. Inde accensi hostes, stimulante ignominia, ne feminæ imperio subderentur (72); valida & læta armis juvenus re-

gnum ejus invadunt: quod nobis prævisum, & missæ auxilio cohortes acre prælium fecere, cujus initio ambiguo, finis lætior fuit. Neque dispari eventu pugnatum a legione, cui Cesium Nasica præerat. Nam Didius, senectute gravis, & multa copia honorum, per ministros agere, & arcere hostem, satis habebat. Hæc, quamquam a duobus, Ostorio Didioque, proprætoribus, plures per annos gesta, conjunxi, ne divisa haud perinde ad memoriam sui valerent. Ad temporum ordinem redeo (73).

AN. U. C. DCCCIV. ÆR. CHR. 51.

Virilis toga Neroni maturata: Britannicus posthabitus Agrippinæ artibus.

XLI. Ti. Claudio quintum, Ser. Cornelio Orphito consulibus, virilis toga Neroni maturata (74), quo capessendæ reipublicæ habilis videretur. Et Cæsar adulationibus senatus libens cessit, ut vicesimo ætatis anno (75) consulatum Nero iniret: atque interim designatus, proconsulare imperium (76) extra Urbem haberet, ac princeps juventutis appellaretur. Additum nomine ejus donativum militi, congiarium plebi. Et ludicro Circensium, quod acquirendis vulgi studiis edebatur, Britannicus in prætexta, Nero triumphalium veste (77) transvecti

sunt. Spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu; ac perinde fortunam utriusque præsumeret. Simul, qui centurionum tribunorumque sortem Britannici miserabantur, remoti fictis causis, & alii per speciem honoris: etiam libertorum si quis incorrupta fide, depellitur, tali occasione. Obvii inter se, Nero *Britannicum* nomine, ille *Domitium*, salutavere. Quod, ut discordiæ initium, Agrippina multo questu, ad maritum defert: *sperni quippe adoptionem; quæque censuerint patres, jusserit populus (78), intra penates abrogari: ac nisi pravitas tam insensa docentium arceatur, eruptura in publicam perniciem.* Commotus his, quasi criminibus, Claudius, optimum quemque educatorem filii exsilio ac morte adicit: datosque a noverca custodiæ ejus imponit.

XLII. Nondum tamen summa moliri Agrippina audebat, ni prætoriarum cohortium cura exsolventur Lusius Geta, & Rufius Crispinus, quos Messalinæ memores (79), & liberis ejus devinctos credebat. Igitur *distrabi cohortes ambitu duorum, & si ab uno regerentur, intentiorem fore disciplinam* adseverante uxore, transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium, egregiæ militaris famæ, gnarum tamen, cujus sponte præficeretur. Suum quoque fastigium Agrippina extollere altius, carpento Capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus,

& sacris (80) antiquitus concessus, venerationem augebat feminæ, quam imperatore genitam (81), sororem ejus, qui rerum potitus sit, & conjugem, & matrem fuisse, unicum ad hunc diem exemplum est (82). Inter quæ præcipuus propugnator ejus Vitellius, validissima gratia, ætate extrema (adeo incertæ sunt potentium res) accusatione corripitur, deferente Junio Lupo senatore. Is crimina majestatis, & cupidinem imperii objectabat. Præbuissetque aures Cæsar, nisi Agrippinæ minis magis, quam precibus, mutatus esset, ut accusatori aqua atque igne interdiceret: hætenus Vitellius voluerat.

Romæ prodigia & annonæ caritas.

XLIII. Multa eo anno prodigia evenere. Insesum diris avibus Capitolium: crebris terræ motibus prorutæ domus: ac dum, latius metuitur, trepidatione vulgi, invalidus quisque obtriti. Frugum quoque egestas, & orta ex eo fames, in prodigium accipiebatur. Nec occulti tantum questus; sed jura reddentem Claudium circumvasere clamoribus turbidis, pulsumque in extremam fori partem vi urgebant, donec militum globo infensos perripit. Quindecim dierum alimenta Urbi, non amplius, superfluisse constitit: magnaue deum benignitate, & modestia hiemis (83) rebus extremis subventum. At

hercule olim ex Italiæ regionibus longinquas in provincias commeatus portabant : nec nunc infecunditate laboratur , sed Africam potius & Ægyptum exercemus , navibusque & casibus vita populi Romani permissa est.

*Bellum inter Armenios Iberosque , Parthis
ac Romanis gravissimorum inter se
motuum causa.*

XLIV. Eodem anno bellum inter Armenios Iberosque exortum , Parthis quoque ac Romanis gravissimorum inter se motuum causa fuit . Genti Parthorum Vologeses imperitabat , materna origine ex pellice Græca , concessu fratrum regnum adeptus . Iberos Pharasmanes vetusta possessione , Armenios frater ejus , Mithridates , obtinebat opibus nostris . Erat Pharasmani filius , nomine Rhadamistus , decora proceritate , vi corporis insignis , & patrias artes edoctus , claraque inter accolas fama . *Is modicum Iberiæ regnum senecta patris detineri ferocius crebriusque jaçtabat , quam ut cupidinem occultaret . Igitur Pharasmanes juvenem potentiæ promptæ (84) , & studio popularium accinctum , vergentibus jam annis suis metuens , aliam ad spem trahere , & Armeniam ostentare , pulsus Parthis , datam Mithridati a semet memorando : sed vim dif-*

*ferendam, & potiozem dolum, quo incautum oppri-
merent. Ita Rhadamistus, simulata adversus patrem
discordia, tamquam novercæ odliis impar, pergit ad
patrum: multaque ab eo comitate in speciem libe-
rûm cultus, primores Armeniorum ad res novas in-
licit, ignaro & ornante (85) insuper Mithridate.*

XLV. Reconciliationis specie adsumpta, regres-
sus ad patrem, *quæ fraude confici potuerint, prom-
pta nuntiat, cetera armis exsequenda. Interim Pha-
rasmanes belli causas confingit: prælianti sibi ad-
versus regem Albanorum (86), & Romanos auxilio
vocanti fratrem adversatum; eamque injuriam ex-
cidio ipsius ultam iturum. Simul magnas copias
filio tradidit. Ille inruptione subita territum, exu-
tumque campis Mithridaten, compulit in castellum
Gorneas, tutum loco, ac præsidio militum, quibus
Cælius Pollio præfectus, centurio Casperius præce-
rat. Nihil tam ignarum barbaris, quam machina-
menta & astus oppugnationum. At nobis ea pars
militiæ maxime gnara est. Ita Rhadamistus frustra,
vel cum damno, tentatis munitionibus, obsidium
incipit. Et cum vis negligeretur, avaritiam præfe-
cti emercuratur, obtestante Casperio, *ne socius rex,
ne Armenia, donum populi Romani, scelere & pe-
cunia verterentur (87).* Postremo, quia multitudi-
nem hostium Pollio, jussa patris Rhadamistus, ob-
tendebant, pactus inducias, abscedit; ut nisi Pha-*

rasmanen bello absterrisset, C. Ummidium Quadratum (88), præsidem Syriæ, doceret, quo in statu Armeniæ forent.

XLVI. Digressu centurionis, velut custode exsolutus præfectus, hortari Mithridaten ad sancendum foedus; *conjunctionem fratrum, ac priorem ætate Pharasmanen, & cetera necessitudinum nomina* referens, quod filiam ejus in matrimonio haberet; quod ipse Rhadamisto socer esset. Non abnuere pacem Iberos, quamquam in tempore validiores; & *satis cognitam Armeniorum perfidiam: nec aliud præsidii, quam castellum commeatu egeum: ne dubitaret, armis incruentas condiciones malle* (89). Cunctante ad ea Mithridate, & suspectis præfecti consiliis, quod pellicem regiam polluerat, inque omnem libidinem venalis habebatur, Casperius interim ad Pharasmanen pervadit: *utque Iberi obsidio decedant*, expostulat. Ille propalam incerta, & sæpius molliora respondens, secretis nuntiis monet Rhadamistum, *oppugnationem quoquo modo celerare*. Augetur flagitii merces, & Pollio occulta corruptione impellit milites, ut *pacem flagitarent, seque præsidio abituros* (90) minitarentur. Qua necessitate, Mithridates diem locumque foederi accepit, castelloque egreditur.

XLVII. Ac primo Rhadamistus in amplexus ejus effusus, simulare obsequium, *socerum ac parentem*

appellare. Adjicit jusjurandum, *non ferro, non veneno vim allaturum*: simul in lucum propinquum trahit, *provisum illic sacrificium imperatum* (91) dicitans, *ut diis testibus pax firmaretur*. Mos est regibus, quotiens in societatem coeant, implicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodoque præstringere: mox, ubi sanguis in artus extremos se effuderit (92), levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt: id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum. Sed tunc, qui ea vincula admovebat, decidisse simulans, genua Mithridatis invadit, ipsumque prosternit: simulque concursu plurium injiciuntur catenæ; ac compede, quod dedecorum barbaris, trahebatur (93). Moxque vulgus, duro imperio habitum, probra ac verbera intentabat. Et erant contra, qui tantam fortunæ commutationem miserarentur. Secutaque cum parvis liberis conjunx, cuncta lamentatione complebat. Diversis & contectis vehiculis abduntur, dum Pharasmanis jussa exquirerentur. Illi cupido regni fratre & filia potior, animusque sceleribus paratus: visui tamen consuluit, ne coram interficerentur. Et Rhadamistus, quasi jurisjurandi memor, non ferrum, non venenum in sororem & patrum expromit; sed projectos in humum, & veste multa gravique opertos necat. Filii quoque Mithridatis, quod cædibus parentum inlacrymaverant, trucidati sunt.

XLVIII. At Quadratus, cognoscens proditum Mithridaten, & regnum ab interfectoibus obtineri, vocat consilium, docet acta, &, an ulcisceretur, consultat. Paucis decus publicum curæ: plures tuta disserunt. *Omne scelus externum cum latitia habendum. Semina etiam odiorum jacienda, ut sæpe Principes Romani eandem Armeniam, specie largitionis, turbandis barbarorum animis præbuerint. Potiretur Rhadamistus male partis, dum invisus, infamis; quando id magis ex usu, quam si cum gloria adeptus foret (94).* In hanc sententiam itum. Ne tamen annuisse facinori viderentur, & diversa Cæsar præciperet, missi ad Pharasmanen nuntii, *ut abscederet a finibus Armeniis, filiumque abstraheret.*

XLIX. Erat Cappadociæ procurator Julius Pelignus, ignavi animi, & deridiculo corporis juxta despiciendus: sed Claudio perquam familiaris, cum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret. Is Pelignus, auxiliis provincialium contractis, tamquam recuperaturus Armeniam, dum socios magis, quam hostes, prædatur, abscessu suorum, & incursantibus barbaris, præsidii egens, ad Rhadamistum venit: donisque ejus evictus, ultro *regium insigne sumere cohortatur; sumentique adest auctor & satelles. Quod ubi turpi fama divulgatum, ne ceteri quoque ex Peligno conjectarentur (95),*

Helvidius Priscus legatus cum legione mittitur, rebus turbidis pro tempore ut consuleret. Igitur prope montem Taurum transgressus, moderatione plura, quam vi, composuerat; cum *redire in Syriam* jubetur, *ne initium belli adversus Partbos existeret.*

L. Nam Vologeses, casum invadendæ Armeniæ obvenisse ratus, quam a majoribus suis possessam, externus rex flagitio obtineret, contrahit copias, fratremque Tiridaten deducere in regnum parat; ne qua pars domûs sine imperio ageret. Incessu Parthorum, sine acie pulsus Iberi: urbesque Armeniorum, Artaxata & Tigranocerta jugum accepere. Deinde atrox hiems, seu parum provisi commeatus, & orta ex utroque tabes, perpellunt Vologesen, omittere præsentia: vacuumque rursus Armeniam Rhadamistus invasit, truculentior quam antea, tamquam adversus defectores, & in tempore rebellaturos. Atque illi, quamvis servitio sueti, patientiam abrumpunt, armisque regiam circumveniunt.

LI. Nec aliud Rhadamisto subsidium fuit, quam pernicitas equorum, quibus seque & conjugem abstulit. Sed conjunx gravida, primam utcumque fugam ob metum hostilem, & mariti caritatem, toleravit. Post festinatione continua, ubi quati uterus, & viscera vibrantur, orare *ut morte honesta contumeliis*

captivitatis eximeretur. Ille primo amplecti, adlevare, adhortari, modo virtutem admirans, modo timore æger, ne quis relicta potiretur. Postremo, violentia amoris, & facinorum non rudis, destrinxit acinacem, vulneratamque ripam ad Araxis trahit, flumini tradit, ne corpus etiam auferretur: Ipse præceps Iberos ad patrium regnum pervadit. Interim Zenobiam (id mulieri nomen) placida illuvie (96), spirantem ac vitæ manifestam advertère pastores; & dignitate formæ haud degenerem reputantes, obligant vulnus, agrestia medicamina adhibent; cognitoque nomine & casu, in urbem Artaxata ferunt: unde publica cura (97) deducta ad Tiridaten, comiterque excepta, cultu regio habitata est.

AN. U. C. DCCCIV. ÆR. CHR. 52.

*Furius Scribonianus in exsilium abdit.
Mathematici Italia pulsi.*

LII. Fausto Sulla, Salvio Othone consulibus; Furius Scribonianus in exsilium agitur, quasi *finem Principis per Chaldeos scrutaretur*; adnectebatur crimini *Junia mater ejus*, ut *casus prioris* (nam relegata erat) *impatiens*. Pater Scriboniani, Camillus, arma per Dalmatiam moverat. Idque ad

clementiam trahebat Cæsar, quod stirpem hostilem iterum conservaret. Neque tamen exsuli longa post-hac vita fuit: morte fortuita, an per venenum extinctus esset, ut quisque credidit, vulgavere. *De mathematicis Italia pellendis factum senatusconsultum, atrox & inritum. Laudati dehinc oratione Principis, qui ob angustias familiares ordine senatorio sponte cederent, motique, qui remanendo impudentiam paupertati adjicerent.*

Senatusconsultum de pœna feminarum, quæ servis conjungerentur. Pallantis, quem repertorem relationis ediderat Claudius, præmia.

LIII. Inter quæ refertur ad patres *de pœna feminarum, quæ servis conjungerentur*: statuiturque *ut ignaro domino ad id prolapsa, in servitute: sin consensisset, pro liberta haberetur* (98). Pallanti, quem repertorem ejus relationis ediderat Cæsar, prætoria insignia, & centies quinquagies sester-tium (99) censuit consul designatus Barea Soranus; additum a Scipione Cornelio, *grates publice agendas, quod regibus Arcadiæ ortus, veterrimam nobilitatem usui publico postponeret, seque inter ministros Principis haberi sineret.* Adseveravit Claudius, *contentum honore Pallantem, intra priorem paupertatem subsistere.* Et fixum est ære publico

senatusconsultum (100), quo libertinus, sestertii ter milles (101) possessor, antiquæ parcimoniæ laudibus cumulabatur.

*Commotæ Judææ quies reddita, damnato
Cumano.*

LIV. At non frater ejus, cognomento *Felix*, pari moderatione agebat, jam pridem Judææ impositus, & cuncta malefacta sibi impune ratus, tanta potentia subnixo. Sane præbuerant Judæi speciem motus, orta seditione, postquam, cognita cæde ejus, haud obtemperatum esset (102): manebat metus, ne quis Principum eadem imperitaret. Atque interim *Felix* intempestivis remediis delicta accendebat, æmulo ad deterrimam *Ventidio Cumano*, cui pars provinciæ habebatur: ita divisus (103), ut huic Galilæorum natio, *Felici* Samaritæ parent, discordes olim, & tum, contemptu regentium, minus coercitis odiis. Igitur raptare inter se, immittere latronum globos, componere insidias, & aliquando præliis congregari, spoliaque & prædas ad procuratores referre. Hique primo lætari, mox gliscente pernicie, cum arma militum interjecissent, cæsi milites. Arsissetque bello provincia, ni *Quadratus*, Syriæ rector, subvenisset. Nec diu adversus Judæos, qui in necem militum prorupe-

rant, dubitatum, quin capite pœnas luerent: Cumanus & Felix cunctationem adferebant, quia Claudius, causis rebellionis auditis, jus statuendi etiam de procuratoribus dederat. Sed Quadratus Felicem inter iudices ostentavit, receptum in tribunal, quo studia accusantium deterrerentur: damnatusque flagitiorum, quæ duo deliquerant, Cumanus; & quies provinciæ reddita.

Clitarum turbas composuit Antiochus.

L.V. Nec multo post agrestium Cilicum nationes, quibus *Clitarum* cognomentum, sæpe & alias commotæ, tunc Trosobore duce, montes asperos castris cepere. Atque inde decursu in litora, aut urbes, vim cultoribus & oppidanis, ac plerumque in mercatores & navicularios audebant. Obsessaque civitas Anemuriensis, & missi e Syria in subsidium equites, cum præfecto Curtio Severo, turbantur: quod duri circum loci, peditibusque ad pugnam idonei, equestre proelium haud patiebantur. Dein rex ejus oræ Antiochus, blandimentis adversus plebem, fraude in ducem, cum barbarorum copias dissociasset, Trosobore paucisque primoribus interfecit, ceteros clementia composuit.

*Claudius lacum Fucinum emittit, edito prius
navalis prælli spectaculo.*

LVI. Sub idem tempus, inter lacum Fucinum amnemque Lirin, perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viseretur, lacu in ipso navale prælium adornatur; ut quondam Augustus, structo cis Tiberim stagno, sed levibus navigiis, & minore copia ediderat. Claudius triremes quadriremesque (104) & undeviginti hominum millia armavit; cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent: ac tamen spatium amplexus, ad vim remigii, gubernantium artes, impetusque navium, & prælio solita. In ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adstiterant, antepositis propugnaculis, ex quibus catapultæ balistæque tenderentur. Reliqua lacus classarii (105) tectis navibus obtinebant. Ripas & colles, ac montium edita in modum theatri, multitudo innumera complevit, proximis e municipiis, & alii Urbe ex ipsa, visendi cupidine, aut officio in Principem. Ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata (106) præsedere. Pugnatum, quamquam inter sontes, fortium virorum animo: ac post multum vulnere, occidioni exempti sunt.

LVII. Sed perfecto spectaculo, apertum aqua-

rum iter. Incuria operis manifesta fuit, haud satis depressi (107) ad lacus ima, vel media. Eoque, tempore interjecto, altius effossi specus; & contrahendæ rursus multitudini, gladiatorum spectaculum editur, inditis pontibus pedestrem ad pugnam. Quin & convivium (108), effluvio lacus appositum, magna formidine cunctos adfecit, quia vis aquarum prorumpens proxima trahebat, convulsis ulterioribus (109), aut fragore & sonitu exterritis. Simul Agrippina, trepidatione Principis usa, ministrum operis, Narcissum, incusat *cupidinis ac prædærum*. Nec ille reticet, *impotentiam muliebre[m] nimiasque spes ejus* arguens.

AN. U. C. DCCCVI. ÆR. CHR. 53.

Causas Iliensium & Bononiensium orat Nero.

Bonomiensi colonie igni haustæ subventum.

Reddita Rhodiis libertas. Tributum

Apamiensibus in quinquennium

remissum.

LVIII. D. Junio, Q. Haterio consulibus, sedecim annos natus Nero Octaviam, Cæsaris filiam, in matrimonium accepit. Utque studiis honestis, & eloquentiæ gloria nitesceret (110), causa Iliensium suscepta, *Romanum Troja demissum, & Julie*

liæ stirpis auctorem Æneam, aliaque haud procul fabulis vetera, facunde exsecutus, impetrat ut *Ilienses omni publico munere solverentur*. Eodem oratore Bononiensi coloniarum, igni haustæ, subventum, centies sestertii (111) largitione. Redditur Rhodiis libertas, adempta sæpe aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi seditione deliquerant: tributumque Apamiensibus (112), terræ motu convulsis, in quinquennium remissum.

Statilium Taurum Agrippina evertit.

LIX. At Claudius sævissima quæque promere adigebatur, ejusdem Agrippinæ artibus, quæ Statilium Taurum, opibus inlustrem, hortis ejus inhians, pervertit, accusante Tarquitio Prisco. Legatus is Tauri, Africam imperio proconsulari regentis, postquam revererant, pauca *repetundarum crimina*, ceterum *magicas superstitiones* objectabat. Nec ille diutius falsum accusatorem, indignasque sordes (113) peressus, vim vitæ suæ attulit, ante sententiam senatus. Tarquitius tamen curia exactus est: quod Patres, odio delatoris, contra ambitum Agrippinæ pervicere.

Procuratorum in provinciis auctoritas stabilita.

LX. Eodem anno sæpius audita vox Principis, *parvam vim rerum habendam a procuratoribus suis* (114) *judicatarum, ac si ipse statuisset.* Ac ne fortuito prolapsus videretur, senatus quoque consulto cautum plenius, quam antea, & uberius. Nam divus Augustus, *apud equestres, qui Ægypto præsiderent, lege agi, decretaque eorum proinde haberi* (115) *jusserat, ac si magistratus Romani constituissent:* mox alias per provincias, & in Urbe pleraque concessa sunt, quæ olim a prætoribus noscebantur. Claudius omne jus tradidit, de quo totiens seditione, aut armis, certatum, cum Sempronius rogationibus equester ordo in possessione judiciorum locaretur; aut rursus Serviliæ leges senatui judicia redderent: Mariusque & Sulla olim de eo vel præcipue bellarent. Sed tunc ordinum diversa studia: & quæ vicerant, publice valebant (116). C. Oppius & Cornelius Balbus primi, Cæsaris opibus, potuere conditiones pacis & arbitria belli tractare. Matios posthac & Vedios (117), & cetera equitum Romanorum prævalida nomina, referre nihil attinuerit; cum Claudius libertos, quos rei familiari præfecerat, sibi que & legibus adæquaverit.

Data Cois immunitas.

LXI. Retulit dein de immunitate Cois tribuenda; multa que super antiquitate eorum memoravit: Argivos, vel Carum, Latonæ parentem, vetustissimos insulæ cultores: mox adventu Æsculapii artem medendi inlatam, maximeque inter posterós ejus celebrem fuisse, nomina singulorum referens, & quibus quisque ætatibus viguissent. Quin etiam dixit Xenophontem, cujus sctentia ipse uteretur, eadem familia ortum: precibusque ejus dandum, ut omni tributo vacui in posterum Coi, sacram Ignatiam dei ministram (118) insulam colerent. Neque dubium habetur, multa eorundem in populum Romanum merita, sociasque victorias potuisse tradi. Sed Claudias facilitate solita, quod uni concesserat, nullis extrinsecus adjumentis velavit.

Byzantiis tributa in quinquennium remissa.

LXII. At Byzantii, data dicendi copia, cum magnitudinem onerum apud senatum deprecarentur, cuncta repetivere; orsi a fœdere, quod nobiscum icerant, qua tempestate bellavimus adversus regem Macedonum, cui, ut degeneri, Pseudophilippi vocabulum impositum. Missas posthac copias in Antio-

chum, Persen, Aristonicum, & piratico bello ad-
 jutum Antonium (119); metuebant quæque Sulle,
 aut Lucullo, aut Pompejo obtulissent. Mox recen-
 tia in *Cataps* morita; quando ea loca insiderent,
 quæ transmeantibus terra marique ducibus, exer-
 citibusque, simul vehendo commeatu opportuna fo-
 rent.

LXIII. Namque artissimo inter Europam Asiam-
 que divortio, Byzantium in extrema Europa posue-
 re Græci, quibus Pythium Apollinem consulenti-
 bus, ubi cederent urbem, redditum oraculum est:
 quærerent sedem, sæcorum terris adversam. Ea
 ambage Chalcedonii monstrabantur, quod priores
 illuc adveſti, prævisa locorum utilitate (120), pejora
 legissent. Quippe Byzantium fertili solo, secundo-
 que mari; quia vis piscium innumera (121) Ponto
 erumpens, & obliquis subter undas saxis exterrita,
 omisso alterius litoris flexu, hos ad portus defertur.
 Unde primo quæstusosi & opulenti; post magnitu-
 dine ænerum urgente, suam aut modum orabant,
 adnitente Principe, qui *Thracio* (122) *Bosphorano*-
 que bello regens fessos, juvandosque retulit. Ita
 tributa in quinquennium remissa,

AN. U. C. DCCCVII. ÆR. CHR. 54.

Crebra prodigia: Lepidæ mors indicata.

LXIV. M. Asinio, Manio Acilio consulibus, mutationem rerum in deteriorius portendi, cognitum est erebris prodigiis. Signa ac tentoria militum igne cælesti arserunt. Fastigio Capitolii examen apium insedit. Bifosses hominum partus: & suis fetum editum (123), cui accipitrum unguis inessent. Numerabatur inter ostenta, deminutus omnium magistratum numerus; quæstorum, ædili, tribuno, prætorum, & consule, paucos intra menses defunctis: Sed in præcipuo pavore Agrippina vocem Claudii, quam temulentus jecerat, fatale sibi, *ut conjugum flagitia ferret; deum puniret*, metuens, agere; & celerare statuit; perdita prius Domitia Lepida, muliebribus causis: quia Lepida minore Antonia genita (124); avunculo Augusto; Agrippinæ sobrina prior (125); ac Cneji, mariti ejus; soror; parem sibi claritudinem credebat: nec forma, ætas, opes multum distabant; & utraque impudica, infamis, vinolenta, haud minus vitiis æmulabantur, quam si qua ex fortuna prospera acceperant. Enimvero certamen acerrimum, amita potius, an mater, apud Neronem prævaleret. Nam Lepida blandimenta

tis & largitionibus juvenilem animum devinciebat ; truci contra ac minaci Agrippina , quæ filio dare imperium , tolerare imperitantem nequibat (126).

LXV. Ceterum objecta sunt quod conjugium (127) Principis devotionibus petivisset , quodque , parum coercitis per Calabriam servorum agminibus , pacem Italiae turbaret . Ob hæc mors indicta , multum adversante Narcisso , cui , Agrippinam magis magisque suspectans , prompsisse inter proximos ferebatur , certam sibi perniciam , seu Britannicus rerum , seu Nero proiretur . Verum ita de se meritum Casarem , ut vitam usui ejus imponderet . Convictam Messalinam & Silbam (128). Pares iterum accusandi causas esse , si Nero imperitaret . Britannico successore , nullam Principi meritum : ac nocere insidiis domum omnem convelli , majore flagitio , quam si impudicitiam prioris conjugis reticeres ; quamquam ne impudicitiam quidem nunc abesse , Pallante adultero : ne quis ambigat , decus , pudorem , corpus , cuncta regno visiora habere . Hæc atque talia dictitans , amplecti Britannicum , robur ætatis quam maturimum precari : modo ad deos , modo ad ipsum tendere manus , adolesceret , patris inimicos depelleret : matris etiam interfectoras ulcisceretur (129) .

Claudius adversa valetudine corripitur. Agrippina, occasione propera, infuso boletis veneno eum interimit.

LXVI; In tanta mole curarum, Claudius valetudine adversa corripitur, refovendisque vitibus molititæ cæli, & salubritate aquarum, Sinuessam pergit. Tum Agrippina, sceleris olim certa, & oblatæ occasionis propera, nec ministrorum egens, de genere veneni consultavit: ne repentino & præcipiti facinus prodèretur; si lentum & tabidum deligisset, ne admotus supremis Claudius, & dolo intellecto, ad amorem filii rediret. Esquiritam aliquid placebat, quod turbaret mentem, & mortem differret. Deligitur artifex tallum, vocabulo *Locusta*, nuper veneficii damnata, & diu inter instrumenta regni habita (130). Ejus mulieris ingenio paratum virus, cujus minister e spadonibus fuit Halotus, inferre epulas, & explorare gustu solitus.

LXVII. Adeoque cuncta mox pernotuere, ut temporum illorum scriptores prodiderint, *infusum delectabili cibo boletorum venenum; nec vim medicaminis statim intellectam, socordiane Claudii, an vinolentia*. Simul soluta alvus subvenisse videbatur. Igitur exterrita Agrippina, & quando ultima timebantur, spreta præsentium invidia, provisam jam

sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. Ille tamquam visus evomentis adjuvaret, pinnam rapido veneno inlitam faucibus ejus demisisse creditur: haud ignarus, summa scelera incipi cum periculo, peragi cum præmio.

LXVIII. Vocabatur interim senatus; vota que pro incolamitate Principis consules & sacerdotes nuncupabant, cum jam exanimis vestibus & fomentis obtegeretur, dum res firmando Neronis imperio componuntur (131). Jam primum Agrippina, velut dolore victa & solatia conquirens, tenore amplexu Britannicum, *veram paterni oris effigiem* appellare, ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque, & Octaviam, sorores ejus, attingit, & cunctos aditus custodiis clauserat; crebroque vulgabat; *ire in melius valetudinem Principis*, quo miles bona in spe ageret, tempusque prosperum (132) ex monitis Chaldæorum adventaret.

*Britannico Agrippina blanditiis eluso, Nero
Imperator consalutatur. Claudio celestes honores decernuntur.*

LXIX. Tunc medio diei, tertium ante Idus Octobris, foribus palatii repente diductis, comitante Burro, Nero egreditur ad cohortem, quæ more militiæ excubiis adest. Ibi, monente Præfecto, fe-

stis vōcibus exceptus, inditur læticæ. Dubitavisse quosdam ferunt, respectantes, rogitantesque *ubi Britannicus esset?* mox, nullo in diversum auctore, quæ offerebantur secuti sunt. Inlatusque castris Nero, & congruentia tempori præfatus, promisso donativo, ad exemplum paternæ largitionis (133), *Imperator* consalutatur. Sententiam militum secuta patrum consultæ: nec dubitatum est apud provincias. Cælestesque honores Claudio decernuntur, & funeris sollemne perinde ac divo Augusto celebratur: æmulante Agrippina proavis Livie magnificentiam. Testamentum tamen hæud recitatum, ne antepositus filio privignus, injuria & invidia, animos vulgi turbaret.



B R E V I A R I U M
LIBRI DECIMI TERTII.

I. J. Silanus per dolum Agrippinae veneno interceptus. Narcissus ad mortem agitur. II. Burrus & Senecae laus. Censoriam Claudii funus: laudatur a Principe. IV. Bona Neronis initia; multaque arbitrio senatus constituta. VI. Partibus Armeniam adfectant: quibus Domitius Corbulo oppositur. XII. Delapso Nerone in amorem Actes libertae, Agrippina infremit; simulque infracta ejus potentia. XIV. Pallas cura rerum demovetur. XV. Mox venenum Britannico properatum: festinum ejus funus, proviso ante paratu & modico. XVIII. Agrippina, Neroni offensior, visa res novas moliri: accusata eo nomine, ultionem in delatores, & praemia amicis obtinet. XXII. Silana in exsilium acta. Deferuntur a Peto Pallas ac Burrus: exsilium accusatori inrogatum. XXIV. Urbs lustrata. XXV. Neronis luxus, & lascivi per noctem discursus. Histriones Italia pulsi. XXVI. Actum in senatu de fraudibus libertorum, iisque in servitutum revocandis: nihil tamen in commune derogatum. XXVIII. Jus tribunorum & aedilium cohibitum. Aerarii cura varie habita. XXX. Damnatur

Vipsanius Lenas. Mors L. Velasii. XXXI. Magistratus, qui provincias obtinerent, ludos edere prohibiti. XXXII. Dominorum securitati consultum. Pomponia Gracina mariti iudicio permissa, & insons absoluta. XXXIII. De repetundis postulantur P. Celer, Cossutianus Capito, Eprius Marcellus. XXXIV. Neronis liberalitas. Prolatum de obtinenda Armenia bellum, acriter sumitur. Prisca severitate & disciplina firmato milite, Corbulo Armeniam ingreditur: urbem Artaxata capit & incendit. XLII. P. Silius Romae damnatur. XLIV. Octavius Sagitta, amore veconi, Pontiam ferro transverberat: intra liberti fides. XLV. Sabinam Poppaeam amare incipit Nero. XLVII. Cornelius Sulla Massiliam amovetur. XLVIII. Puteolanorum seditio. XLIX. P. Petus Thrasea Sevidori senatusconsulto contradicit, ut Pauperum bonos cresceret. L. Publicanorum immodestia. Vectigalia contra Neronis impetum retenta. Leges cujusque publici, occultae ad id tempus, proscribuntur. LIII. In Germania Frisii res movent: insessis juxta Rhenum agris, mox jussi decedere: capti caesive, qui restitere. Eisdem agros, pari fato, occupant Ansibarii. LVII. Inter Hermunduros Cattosque bellum, Cattis exitiosum. LVIII. Ruminalis arbor revirescit.

Gesta hæc annis quatuor:

AN. U. C. ÆR. CHR.

DCCCVIII. 55. *Coss.* NERONE CLAUDIO Cæ-
sare,
L. ANTISTIO Vetece.

DCCCIX. 56. *Coss.* Q. VOLUSIO Saturnino,
P. GORNELIO Scipione.

DCCCX. 57. *Coss.* NERONE CLAUDIO Cæ-
sare II,
L. CALPURNIO Pisone.

DCCCXI. 58. *Coss.* NERONE CLAUDIO Cæ-
sare III,
VALERIO MESSALA.





*J. Silanus per dolum Agrippinae veneno interemptus.
Narcissus ad mortem agitur.*

I. **P** R I M A novo Principatu mors Junii Silani (1), proconsulis Asiae; ignaro Nerone, per dolum Agrippinae paratur: non quia ingenii violentia exitium inritaverat (2), segnis & dominationibus aliis fastiditus, adeo ut C. Caesar pecudem auream (3) eum appellare solitus sit: verum Agrippina, fratri ejus L. Silano necem molita (4), ultorem metuebat, crebra vulgi fama, *anteponendum esse vix dum pueritiam egresso Neroni, & imperium per scelus adeptu, virum etate composita, insontem, nobilem, & quod tunc spectaretur, o Caesarum posteris.* Quippe & Silanus divi Augusti abnepos erat: hæc causa necis: ministri fuere P. Celes, eques Romanus, & Helius libertus, rei familiari Principis in Asia impositi. Ab his proconsuli venenum inter epulas datum est, apertius, quam ut fallerent. Nec minus properato Narcissus, Claudii libertus, de cujus jurgiis adversus Agrippinam retuli, aspera custodia, & necessitate extrema, ad mortem agi-

tur; invito Principe, cujus abditis adhuc vitiis, per avaritiam ac prodigentiam, mire congruebat.

*Burri & Senecæ laus. Censorium Claudii funus:
laudatur a Principe.*

II. Ibatunque in cædes, nisi Afranius Burrus, & Annæus Seneca obviam issent. Hi rectores imperatoriæ juventæ, & rarum in societate potentia, concordés (5), diversa arte ex æquo pollebant: Burrus militaribus curis, & severitate morum: Seneca præceptis eloquentiæ, & comitate honesta: juvantes invicem, quo facilius lubricam Principis ætatem, si virtutem aspèraretur, voluptatibus concessis retinerent. Certamen utrique unum erat contra ferociam Agrippinæ, quæ, cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrans, habebat in partibus Pallantem; quo auctore, Claudius nuptiis incestis, & adoptione exitiosa; semet perverterat. Sed neque Neroni infra servos (6) ingenium; & Pallas, tristi arrogantia modum liberti egressus, tædium suum moverat. Propalam tamen omnes in eam honores cumulabantur, signumque more militiæ petenti tribuno dedit, *optima matris*. Decreti & a senatu duo lictores (7), *flaminium Claudiale*, simul Claudio censorium funus, & mox consecratio.

III. Die funeris, laudationem ejus Princeps exorsus est. Dum *antiquitatem generis, consulatus, ac triumphos majorum* enumerabat, intentus ipse & ceteri. *Liberalium quoque artium* commemoratio, & *nihil, regente eo, reipublicæ triste ab externis accidisse*, pronis animis audita. Postquam ad *providentiam sapientiamque* flexit, nemo risui temperare; quamquam oratio a Seneca composita, multum cultus præferret: ut fuit illi viro ingenium amœnum, & temporis ejus auribus accommodatum: Adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera & præsentia contendere (8), *primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienæ facundia eguisse*. Nam dictator Cæsar summis oratoribus æmulus; & Augusto prompta ac profluens, quæ deceret Principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus, aut consulto ambiguus. Etiam C. Cæsaris turbata mens vim dicendi non corrumpit. Nec in Claudio, quotiens meditata dissereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus statim annis, vividum animum in alia detorsit. Cælare, pingere, cantus aut regimen equorum exercere: & aliquando, carminibus pangendis, inesse sibi elementa doctrinæ ostendebat.

Bona Neronis initia; multaque arbitrio senatus constituta.

IV. Ceterum peractis tristitiæ imitamentis, curiam ingressus, & de auctoritate patrum, & consensu militum præfatus, consilia sibi & exempla capessendi egregie imperii memoravit: nec juvenam armis civilibus, aut domesticis discordiis imbutam: nulla odia, nullas injurias, nec cupidinem ultionis adferre. Tum formam futuri principatus præscripsit, ea maxime declinans, quorum recens flagrabat invidia. Non enim se negotiorum omnium judicem fore, ut, clausis unam intra domum accusatoribus & reis, paucorum potentia grassaretur. Nihil in penetibus suis venale; aut ambitioni pervium: discretam domum & rempublicam. Teneret antiqua munia senatus. Consulibus Italia & publicæ provinciæ adsisterent (9). Illi patrum aditum præberent: se mandatis (10) exercitiis consulturum.

V. Nec defuit fides. Multaque arbitrio senatus constituta sunt: Ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur. Ne designatis quidem quæstoribus edendi gladiatores necessitas (11) esset. Quod quidem, adversante Agrippina, tamquam acta Claudii subverterentur, obtinere patres: qui in
pala-

palatium ob id vocabantur, ut adstaret abditis a tergo foribus (12), velo discreta, quod visum arceret, auditus non adimeret. Quin & legatis Armeniorum, causam gentis apud Neronem orantibus, escendere suggestum Imperatoris, & præsidere simul parabat; nisi, ceteris pavore defixis, Seneca admonuisset, *venienti matri occurreret*. Ita specie pietatis, obviam itura dedecori.

*Parti Armeniam adfectant: quibus Domitius
Corbulo opponitur.*

VI. Fine anni, turbidis rumoribus prorupisse rursus Partos, & rari Armeniam, allatum est, pulso Rbadamisto, qui sæpe regni ejus potitus, dein profugus, tum quoque bellum deseruerat. Igitur in Urbe, sermonum avida, *quemadmodum Princeps, vix septemdecim annos egressus, suscipere eam molem, aut propulsare posset? quod subsidium in eo, quò a femina regeretur? num prælia quoque & oppugnationes urbium, & cetera belli, per magistros administrari possent*, anquirebant. Contra alii, *melius evenisse disserunt, quam si invalidus senecta & ignavia Claudius, militiæ ad labores vocaretur, servilibus jussis obtemperaturus. Burrum tamen (13) & Senecam multarum rerum experientia cognitos: & Imperatori quantum ad robur deesse? cum octavo-*

decimo ætatis anno Cn. Pompejus, nonodecimo Cæsar Octavianus, civilia bella sustinuerint. Pleraque in summa fortuna auspitiis & consiliis, quam telis & manibus geri (14). Daturum plane documentum, honestis, an secus, amicis uteretur, si dicem amota invidia egregium, quam si pecuniosum & gratia subnixum per ambitum deligeret.

VII. Hæc atque talia vulgantibus, Nero & juventutem, proximas per provincias quesitam, splendidis Orientis legionibus admovere, legionesque ipsas propius Armeniam collocari (15) jubet: duosque veteres reges, Agrippam & Antiochum, expedire copias, quis Parthorum fines ultro intrarent, simul pontes per amnem Euphraten jungi. Et minorem Armeniam Aristobulo, regionem Sobemen Sobemo cum insignibus regiis mandat. Exortusque in tempore æmulus Vologeso, filius Vardanes. Et abscessere Armenia Parthi, tamquam differrent bellum.

VIII. Sed apud Senaturn omnia in majus celebrata sunt, sententiis eorum, qui supplicationes, & diebus supplicationum vestem Principi triumphalem, utque ovans Urbem iniret, effigiesque ejus pari magnitudine, ac Martis Ultoris, eodem in templo, censuere: præter suetam adulationem læti, quod Domitium Corbulonem (16) retinendæ Armeniæ præposuerat: videbaturque locus virtutibus

patefactus. Copiæ Orientis ita dividuntur, ut pars auxiliarium cum duabus legionibus apud provinciam Syriam, & legatum ejus Quadratum Ummidium, remaneret; pars civium sociorumque numerus Corbuloni esset, additis cohortibus aliisque, quæ apud Cappadociam hiemabant. Socii reges, prout bello conduceret, parere jussi. Sed studia eorum in Corbulonem promptiora erant: qui, ut famæ inserviret, quæ in novis ceptis validissima est, itinere prope confecto, apud Ægeas (17), civitatem Ciliciæ, obvium Quadratum habuit, illic progressum, ne, si ad accipiendas copias Syriam intravisset Corbulo, omnium ora in se verteret, corpore ingens, verbis magnificus, & super experientiam sapientiamque, etiam specie inanium (18) validus.

IX. Ceterum uterque Vologesen regem nuntiis monebant, *pacem quam bellum mallet; datisque obsidibus, solitam prioribus (19) reverentiam in populum Romanum continuaret.* Et Vologeses, quo bellum ex commode pararet, an ut æmulationis suspectos per nomen obsidum amoveret, tradit nobilissimos ex familia Arsacidarum. Accepitque eos centurio Histejus (20), ab Ummidio missus forte prior, ea de causa adito rege. Quod postquam Corbuloni cognitum est; *ire præfectum cohortis, Arrium Varum, & recipere obsides jubet.* Hinc ortum inter præfectum & centurionem jurgium,

ne diutius externis spectaculo esset, arbitrium rel
 obsidibus legatisque, qui eos ducebant, permissum.
 Atque illi, ob recentem gloriam, & inclinatione
 quadam etiam hostium, Corbulonem prætulere.
 Unde discordia inter duces: querente Ummidio,
præcepta, quæ suis consiliis paravisset; testante
 contra Corbulone, *non prius conversum regem ad*
offerendos obsides, quam ipse, dux bello detectus,
spes ejus ad metum mutaret. Nero, quo compone-
 ret diversos, sic evulgari jussit: *Ob res, a Qua-*
drato & Corbulone prospere gestas, laurum fasci-
bus Imperatorij addi, Quæ, in alios consules egres-
sa, conjuncti.

X. Eodem anno Cæsar effugem Cn. Domitio pa-
 tri, consularia insignia Arconio Labroni, quo tu-
 tore usus erat, petivit a senatu: sibi quæ statuas
 argento vel auro solidas, adversus offerentes pro-
 hibuit. Et quamquam censuissent patres, ut prin-
 cipium anni inciperet mense Decembri, quo ortus
 erat Nero, veterem religionem Calendarum Janua-
 riarum inchoando anno retinuit. Neque recepti sunt
 inter reos Carinas Celer, senator, servo accusante;
 aut Julius Densus, equester (21), cui favor in Bri-
 tannicum crimini dabatur.

AN. U. C. DCCCVIII. ÆR. CHR. 55.

XI. Claudio Nerone, L. Antistio consulibus, eum in acta Principum (22) jurarent magistratus, in sua acta collegam Antistium jurare prohibuit: magnis patrum laudibus, ut juvenilis animus, levium quoque rerum gloria sublatus, majores continuaret. Secutaque lenitas in Plautium Lateranum, quem, ob adulterium Messalinæ ordine remotum (23), reddidit senatui, clementiam suam obstringens crebris orationibus; quas Seneca, testificando, quam honesta præciperet, vel jactandi ingenii (24), voce Principis vulgabat.

*Delapso Nerone in amorem Actæ libertæ,
Agrippina infremit; simulque infracta
ejus potentia.*

XII. Ceterum infracta paullatim potentia matris, delapso Nerone in amorem libertæ, cui vocabulum Actæ (25) fuit: simul adsumptis in conscientiam Othone & Claudio Senecione, adolescentulis decoris; quorum Otho, familia consulari, Senecio, liberto Cæsaris patre genitus, ignara matre, dein frustra obnitente, penitus inrepserant per luxum & ambigua secreta: ne severioribus quidem (26)

Principis amicis adversantibus, muliercula, nulla cujusquam injuria, cupidines Principis explente: quando uxore ab Octavia, nobili quidem & probitatis spectatae, fato quodam, an quia praevalent illicita, abhorrebat: metuēbaturque, ne in supra feminarum iulustrium prorumperet, si illa libidine prohiberetur.

XIII. Sed Agrippina *libertam emulam, nurum ancillam*, aliaque eundem in modum muliebriter fremere. Neque pænitentiam filii, aut satietatem opperiri: quantoque scēdiora exprobrabat, acrius accendere: donec vi amoris subactus, exueret obsequium in matrem, seque Senecae permetteret (27). Ex cujus familiaribus Annæus Serenus, simulatione amoris adversus eandem libertam, primas adolescentis cupidines velaverat, praeberatque nomen, ut quae Princeps furtim mulierculae tribuebat, ille palam largiretur. Tum Agrippina, versis artibus, per blandimenta juvenem adgredi, *suum potius cubiculum ac sinum offerre conlegendis, quae prima aetas, & summa fortuna expeterent*. Quin & fatebatur *intempestivam severitatem*; & suarum opum, quae haud procul Imperatoriis aberant, copias tradebat: ut nimia nuper coercendo filio, ita rursus intemperanter demissa. Quae mutatio neque Nerōnem fefellit: & proximi amicorum metuēbant, orabantque *cavere insidias* (28) *mulieris semper atrocis,*

sum & falsa. Forte illis diebus Cæsar, inspecto ornatu, quo Principum conjuges ac parentes effulserant, deligit vestem & gemmas, misitque donum matri, nulla parcimonia, cum præcipua & cupita aliis, prior deferret. Sed Agrippina *non his instrui cultus suos, sed ceteris arceri* proclamat, & *dividere filium, quæ cuncta ex ipsa haberet.* Nec defuere, qui in deterius referrent.

Pallas cura rerum demovetur.

XIV. Et Nero, infensus iis, quibus superbia muliebris innitebatur, demovet Pallantem cura rerum, quæ a Claudio impositus (29), velut arbitrum regni agebat (30). Ferebaturque, degrediente eo, magna prosequentium multitudine, non absurde dixisse: *Ire Pallantem, ut ejunaret.* (31). Sane pepigerat Pallas, *ne cujus facti in præteritum interrogaretur, paresque rationes cum republica haberet* (32). Præceps post hæc Agrippina, ruere in terrorem & minas, neque Principis auribus abstinere, quominus testaretur, *adultum jam esse Britannicum, veram dignamque stirpem, suscipiendo patris imperio, quod insitus & adoptivus, per injurias matris, exerceret.* Non abnuere se, quin *cuncta infelicitis domûs mala patefierent, suæ in primis nuptiæ, suum beneficium.* Id solum diis &

sibi provisum, quod viveret privignus. Ituram cum illo in castra. Audiretur hinc Germanici filia: inde debilis rursus Burrus (33) & exsul Seneca, trunca scilicet manu, & professoria lingua, generis humani regimen expostulantes. Simul intendere manus, aggerere probra: consecratum Claudium, infernos Silanorum manes invocare, & tot irrita facinora.

Mox venenum Britannico properatum: festinum ejus funus, proviso ante paratu & modico.

XV. Turbatus his Nero, & propinquo die, quo quartumdecimum ætatis annum Britannicus explebat, volutare secum, modo matris violentiam, modo ipsius indolem, ut quidem experimento (34) nuper eognitam, quo tamen favorem late quævisisset. Festis Saturno diebus, inter alia æqualium ludicra, regnum lusu (35) sortientium, evenerat ea sors Neroni. Igitur ceteris diversa, nec ruborem allatura, ubi Britannico jussit, *exsurgeret, progressusque in medium cantum aliquem inciperet*, inrisum ex eo sperans pueri, sobrios quoque convictus, nedum temulentos, ignorantis; ille constanter exorsus est carmen, quo *evolutum eum sede patria rebusque summis*, significabatur. Unde orta misertio manifestior, quia dissimulationem nox & lasci-

via exemerat. Nero, intellecta invidia, odium intendit; urgentibusque Agrippinæ minis, quia nullum crimen, neque jubere cædem fratris palam audebat, occulta molitur; *pararique venenum jubet, ministro Pollionè Julio, prætoris cohortis tribuno, ejus cura attinebatur damnata veneficii, nomine Locusta, multa scelerum fama. Nam ut proximus quisque Britannico neque fas, neque fidem pensâ haberet, olim provisum erat (36). Primum venenum ab ipsis educatoribus accepit, transmisitque, exsoluta alvo, parum validum, sive temperamentum inerat, ne statim sæviret. Sed Nero, lenti sceleris impatiens, minitari tribuno, jubere supplicium veneficæ, quod, dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur. Promittentibus dein tam præcipitem necem, quam si ferro urgeretur, cubiculum Cæsaris juxta decoquitur virus, cognitis antea venenis rapidum.*

XVI. Mos habebatur, Principum liberos, cum ceteris idem ætatis nobilibus, sedentes vesci (37) in aspectu propinquorum, propria & parciorè mensa. Illic epulante Britannico, quia cibos potusque ejus delectus ex ministris gustu explorabat, ne omitteretur institutum, aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est. Innoxia adhuc, ac præcalida, & libata gustu potio traditur Britannico. Dein, postquam fervore aspernabatur, frigida

in aqua adfunditur venenum; quod ita cunctos ejus artus pervasit, ut vox pariter & spiritus raperetur. Trepidatur a circumsedentibus, diffugiunt imprudentes. At quibus altior intellectus, resistunt defixi, & Neronem intuentes. Ille, ut erat redinis, & nescio similis, *solutum ita*, ait, *per comitalem morbum, quo primum ab infantia affligeretur Britannicus, & redituros paulatim visusensusque*. At Agrippinæ is pavor, ea consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit, ut perinde ignaram fuisse, ac sororem Britannici Octaviam, constiterit: quippe sibi supremum auxilium ereptum, & parricidii exemplum (38) intelligebat. Octavia quoque, quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnes affectus abscondere didicerat. In post breve silentium, repetita convivii lætitia.

XVII. Nox eadem necem Britannici & rogam conjunxit, proviso ante funebri paratu, qui modicus fuit. In campo tamen Martis sepultus est, adeo turbidis imbribus, ut vulgus iram deum portendi crediderit adversus facinus, cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias, & insociabile regnum æstimantes (39). Tradunt plerique eorum temporum scriptores, *crebris ante exitium diebus, inlusum isse pueritiæ Britannici Neronem*: ut jam non præmatura, neque sæva mors videri queat, quamvis inter sacra mensæ, ne tem-

pore quidem ad complexum sorori dato, ante oculos inimici properata sit, in illum supremum Claudiorum sanguinem, stupro prius, quam veneno, pollutum. Festinationem exsequiarum edicto Cæsar defendit, id a majoribus institutum referens, *subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus, aut pompa detinere. Ceterum sibi amisso fratris auxilio, reliquas spes in republica sitas: Et tanto magis fovendum patribus populoque Principem, qui unus superesset e familia, summum ad fastigium genita. Exin largitione potissimos amicorum auxit..*

Agrippina, Neroni offensior, visa res novas moliri: accusata eo nomine, ultionem in delatores, Et præmia amicis obtinet.

XVIII. Nec defuere, qui arguerent viros gravitatem adseverantes (40), quod domos, villas, id temporis, quasi prædam divisissent. Alii necessitatem adhibitam credebant a Principe, sceleris sibi conscio, & veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. At matris ira nulla munificentia leniri; sed amplecti Octaviam, crebra cum amicis secreta habere; super ingentem avaritiam, undique pecunias, quasi in subsidium, corripens, tribunos & centuriones comiter excipere: nomina & virtutes nobilium, qui etiam tum

supererant, in honore habere; quasi quæreret dæcem & partes. Cognitum id Neroni; *excubiasque militares*, quæ; ut conjugii Imperatoris solitum & matri servabantur (41), & *Germanos* super eundem honorem eustodes additos *degreði* jubet. Ac ne cœtu salutantium frequentaretur, separat domum, matremque transfert in eam; quæ Antoniz fuerat: quotiens ipse illuc ventitaret, septus turba centurionum; & post breve osculum digrediens.

XIX. Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiæ, non suâ vi nixæ. Statim relictum Agrippinæ limen. Nemo solari, nemo adire; præter paucas fœminas, amore an odio, incertum. Ex quibus erat Junia Silana, quam matrimonio C. Sillia Messalina depulsam, supra retuli (42), insignis genere, forma, lascivia, & Agrippinæ diu pereara: mox occultis inter eas offensio-nibus, quia Sextium Africanum; nobilem juvenem, à nuptiis Silanæ deterruerat Agrippina, *impudicam* & *vergentem annis* dictitans; non ut Africanum sibi seponeret; sed ne opibus & orbitate Silanæ maritus potiretur. Illa, spe ultionis oblata, parat accusatores ex clientibus suis, Iturium & Calvisium, non vetera & sæpius jam audita deferens, quod *Britannici mortem lugeret*, aut *Octaviæ injurias evulgaret*: sed *destinavisse eam, Rubellium Plautum, per maternam originem pari ac Nero gradu a divo*

Augusto (43), ad res novas extollere; conjugioque ejus potiri, ac (44) rempublicam rursus invadere. Hæc Iturius & Calvisius Atimeto, Domitiæ, Neronis amitæ, liberto, aperiunt. Qui lætus oblati (quippe inter Agrippinam & Domitiam infensa æmulatio exercebatur) Paridem histrionem, libertum & ipsum Domitiæ, impulit ire propere, crimenque atrociter deferre.

XX. Profecta nox erat, & Neroni per violentiam trahebatur; cum ingreditur Paris; solitus alioquin id temporis lusus Principis intendere. Sed tunc compositus ad maestitiam, expositoque indicii ordine, ita audientem exterret, ut non tantum matrem Plautumque interficere, sed Burrum etiam demovere præfectura destinaret, tamquam Agrippinæ gratia profectum, & vicem reddentem. Fabius Rusticus (45) auctor est, *scriptos esse ad Cæcinam Tuscum codicillos, mandata ei præsorum cohortium cura: sed opæ Senecæ dignationem Burro retentam.* Plinius (46) & Cluvius nihil dubitatum de fide præfetti referunt: sane Fabius inclinat ad laudes Senecæ, cujus amicitia floruit. Nos consensum auctorum secuti, quæ diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus. Nero trepidus, & interficiendæ matris avidus, non prius differri potuit, quam Burrus necem ejus promitteret, si facinoris coargueretur: *Sed cuicumque, nedum parenti, de-*

fensionem tribuendam: nec accusatores adesse, s. vocem unius ex inimica domo adferri. Refutare t. nebras (47), & vigilatam convivio noctem, omnia que temeritati: & inscitia propiora.

XXI. Sic lenito Principis metu, & luce orta, itur ad Agrippinam, ut nosceret objecta, dissolveretque, vel poena lucret. Burrus iis mandatis, Seneca coram, fungebatur. Aderant & ex libertis, arbitri sermonis. Deinde a Burro, postquam crimina & auctores exposuit, minaciter actum. Agrippina, ferociae memor, *Non miror, inquit, Silaniam, numquam edito partu, matrum affectus ignotas habere: Neque enim perinde a parentibus liberi, quam ab impudica adulteri, mutantur. Nec, si Iturius & Calvisius, adesis omnibus fortunis, novissimam suscipiente accusationis operam anni rependant, ideo aut mihi infamia parricidii (48), aut Casari conscientia subeunda est. Nam Domitia inimicitiis gratias agerem, si benevolentia mecum in Neronem meum certaret. Nunc per concubinam Atimetam, & histrionem Pavidem, quasi scene fabulas componit. Bajaram suarum piscinas extolabat, cum meis consiliis adproptio, & proconsulari jus, & designatio consulatus, & cetera adipiscendo imperio prepararentur. Aut existat, qui cohortes in Urbe tentatas, qui provinciarum fidem labefactam, denique servos, vel libertos, ad scelus cor-*

ruptos arguat. Vivere ego, Britannico poriente rerum, poteram; at si Plautus (49), aut quis alius, rempublicam judicaturus obtinuerit, desunt scilicet mihi accusatores, qui non verba, impatientia caritatis aliquando incauta, sed ea crimina objiciant, quibus, nisi a filio, absolvi non possim. Commotis, qui aderant, ultroque spiritus ejus mitigantibus, colloquium filii exposcit: ubi nihil pro innocentia, quasi diffideret; nec beneficiis (50), quasi exprobraret, disseruit; sed ultionem in delatores, & præmia amicis obtinuit.

Silana in exilium acta. Deferuntur a Pæto Pallas ac Burrus: exilium accusatori inrogatum.

XXII. Præfectura annonæ Fenio Rufo; cura ludorum, qui a Cæsare parabantur, Arruntio Stelæ; Ægyptus C. Balbillo permittuntur. Syria P. Antejo destinata: & variis (51) mox artibus elusus, ad postremum in Urbe retentus est. At Silana in exilium acta. Calvisius quoque & Iturius relegantur. De Atimeto supplicium sumptum, validiore apud libidines Principis Paride, quam ut pœna afficeretur. Plautus ad præsens silentio transmissus est.

XXIII. Deferuntur dehinc *consensisse Pallas, ac Burrus, ut Cornelius Sulla, claritudine generis*

Adfinitate Claudii, cui per nuptias Antoniae gener erat, ad imperium vocaretur. Ejus accusatio- nis auctor exstitit Pætus quidam; exercendis apud ærarium sectionibus (52) famosus, & tum vanitatis manifestus. Nec tam grata Pallantis innocentia, quam gravis superbia fuit: quippe nominatis liber- tis ejus, quos conscios haberet, respondit; nihil unquam se domi, nisi nutu, aut manu significas- se, vel si plura demonstranda essent, scripto usum, ne vocem consociaret. Burrus, quamvis reus, inter judices sententiam dixit. Exsiliumque accusatori in- rogatum, & tabulæ exustæ sunt, quibus oblitterata ærarii monumenta retrahebat (53),

Urbs lustrata.

XXIV. Fine anni, statio cohortis, adsidere lu- dis solita, demovetur, quo major species libertatis esset; utque miles, theatri licentiæ non permix- tus, incorruptior ageret, & plebes daret experi- mentum, an, amotis custodibus, modestiam retine- ret. Urbem Princeps lustravit (54), e responso haruspicum, quod Jovis ac Minervæ ædes de cælo tactæ erant.

AN. U. C. DCCCIX. ÆR. CHR. 56.

*Neronis luxus, & lascivi per noctem discursus.**Histriones Italia pulsi.*

XXV. Q. Volusio, P. Scipione consulibus; otium foris, foeda domi lascivia, qua Nero itinera Urbis, & lupanaria, & diverticula, veste servili in dissimulationem sui compositus, pererrabat, comitantibus, qui raperent ad venditionem exposita (55), & obviis vulnera inferrent: adversus ignaros adeo, ut ipse quoque exciperet ictus, & ore praeferret. Deinde, ubi *Casarem esse, qui gramaretur*, pernotuit; augebantur injuriae adversus viros feminasque insignes; & quidam, permessa semel licentia sub nomine Neronis, inulti, propriis cum globis, eadem exercebant; & in modum captivitate nox agebatur. Julius quidem Montanus, senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset (56), congressus forte per tenebras cum Principe, quia vi attentantem acriter repulerat, deinde agnitum oraverat, quasi exprobrasset, mori adactus est. Nero autem, metuentior in posterum, milites sibi, & plenosque gladiatores circumdedit, qui rixarum initia modica, & quasi privata simerent: si a laesis validius ageretur, arma inferrent. Ludicram quo-

que licentiam, & fautores (57) histrionum velut in proelia convertit, impunitate & præmiis, atque ipse occultus, & plerumque coram prospectans: donec discordi populo, & gravioris motus terrore, non aliud remedium repertum est, quam ut histriones Italia pellerentur, milesque theatro rursum adsideret.

Actum in senatu de fraudibus libertorum, iisque in servitutem revocandis: nihil tamen in commune derogatum.

XXVI. Per idem tempus actum in senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque ut adversus male meritos revocando libertatis (58) jus patronis daretur. Nec deerant, qui censerent. Sed consules relationem incipere (59) non ausi, ignaro Principe, perscribere tamen consensum senatus. Ille jam auctor constitutionis feret, ut inter paucos, & sententiæ adversos: quibusdam coalitam libertate irreverentiam eo prorupisse frementibus, ut æquo cum patronis jure agerent, sententiam eorum consultarent, ac verberibus manus ultero intenderent, impudenter vel penam suam dissuadentes. Quid enim aliud læso patrono concessum, quam ut vicissimum ultra lapidem (60), in oram Campaniæ, libertum releget? Ceteras actiones promiscuas & pa-

res esse. Tribuendum aliquod telum, quod sperni nequeat. Nec grave manumissis, per idem obsequium retinendi libertatem, per quod adsecuti sint. At criminum manifestos merito ad servitutem retrahi; ut metu coerceantur, quos beneficia non mutavissent.

XXVII. Disserebatur contra; *Paucorum culpam ipsis exitiosam esse debere: nihil universorum juri derogandam: quippe late fustum id corpus. Hinc plerumque tribus, decurias (61), ministeria magistratibus & sacerdotibus, cohortes etiam in Urbe conscriptas: & plurimam equitum, plerisque senatoribus, non aliunde originem trahi. Si separarentur libertini, manifestam fore penuriam ingenue-rum: non frustra majores, cum dignitatem ordinum dividerent, libertatem in communi posuisse. Quin & manumittendi duas species (62) institutas, ut relinqueretur penitentia, aut novo beneficio locus. Quos vindicta patronus non liberaverit, velut vinculo servitutis attrinere. Dispiceret quisque merita, tardeque concederet; quod datum, non adimeretur. Hæc sententia valuit. Scripsitque Cæsar senatui, privatim expenderent causam libertorum, quotiens a patronis arguerentur: in commune nihil derogarent. Nec multa post ereptus amicitia libertus Paris (63), quasi jure civili; non sine infamia Principis, cujus jussu perpetratum ingenuitatis iudicium erat.*

*Jus tribunorum & ædilium cohibiturum.
Ærarii cura varie habita.*

XXVIII. Manebat nihilominus quædam imago reipublicæ. Nam inter Vibullium prætorem & plebei tribunum Antistium ortum certamen, quod immodestos fautores histrionum, & a prætore in vincula ductos, tribunus *omitti* jussisset. Comprobavere (64) patres, incusata *Antistii licentia*. Simul prohibiti tribuni *jus prætorum & consulum præripere, aut vocare ex Italia; cum quibus lege agi posset*. Addidit L. Piso, designatus consul, *ne quid intra domum (65) pro potestate animadverterent: neve multam ab iis dictam, quæstores ærarii in publicas tabulas, ante quatuor menses, referrent; medio temporis contradicere liceret: deque eo consules statuerent*. Cohibita ætius & ædilium potestas, statutumque *quantum curules, quantum plebei pignoris caperent, vel pænæ inrogarent*. Eo Helvidius Priscus, tribunus plebis, adversus Obultronium Sabinum, ærarii quæstorem, contentiones proprias exercuit, *tamquam jus hastæ (66) adversus inopes inclementer augetet*. Dein Princeps curam tabularum publicarum a quæstoribus ad præfectos transtulit.

XXIX. *Variè habita, ac sæpe immutata ejus*

rei forma. Nam Augustus permisit senatui, deligere præfectos: dein, ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero prætorum, qui præsesent. Neque id diu mansit, quia sors dærrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quæstores rursum imposuit; iisque, ne metu offensionum segnius consularent, extra ordinem honores promisit (67). Sed deerat robor ætatis (68) eum primum magistratum capessentibus. Igitur Nero prætura perfungtos, & experientia probatos delegit.

*Damnatur Vipsanius Lenas. Mors
L. Volusii.*

XXX. Damnatus iisdem consulibus Vipsanius Lenas, ob Sardiniam provinciam avate habitam. Absolutus Cestius Proculus repetundarum, cedentibus accusatoribus. Clodius Quirinalis, quod præfectus remigum, qui Ravennæ haberentur; voluit infimam nationum (69), Italiam luxuria sævitiaque afflictaisset, veneno damnationem antevertit. C. Aminius Rebius (70), ex primoribus peritiã legum, & pecuniæ magnitudine, cruciatus ægræ senectæ, misso per venas sanguine, effugit; haud creditus sufficere ad constantiam sumendæ mortis, ob libidines muliebriter infamis. At L. Volusius egregia fama concessit; cui tres & nonaginta anni spatium

vivendi, præcipuæque opes bonis artibus, inoffensa tot Imperatorum malitia (71) fuit.

AN. U. C. DCCCL. ÆR. CHR. 57.

*Magistratus, qui provincias obtinerent,
ludos edere prohibiti.*

XXXI. Nerone secundum, L. Pisone consulibus, pauca memoria digna evenere: nisi cui libeat, laudandis fundamentis & trabibus, quâs molem amphitheatri apud campum Martis Cæsar exstruxerat, volumina implere: cum ex dignitate populi Romani repertum sit, res inlustres annalibus, talia diurnis Urbis actis mandare. Ceterum coloniæ, Capua atque Nuceria, additis veteranis firmatæ sunt: plebeique congiarium quadringeni nummi (72) viritum dati, & sestertium quadringentes ærario inlatum est, ad retinendam populi fidem. Vestigal quoque quintæ & vicesimæ venalium mancipiorum remissum, specie magis, quam re (73): quia, cum venditor pendere juberetur, in partem pretii emptoribus adreseebat. Edixit Cæsar, ne quis magistratus, aut procurator, qui provinciam obtineret, spectaculum gladiatorum, aut ferarum, aut quod aliud ludicrum ederet. Nam ante non minus tali largitione, quam corripiendis pecuniis; subjectos ad-

fligebant; dum, quæ libidine deliquerant, ambitu propugnant.

*Dominorum securitati consultum. Pomponia
Græcina mariti iudicio permissa,
& insons absoluta.*

XXXII. Factum & senatusconsultum ultioni iuxta & securitati, *ut si quis a suis servis interfertus esset, ii quoque, qui testamento manumissi sub eodem testamento mansissent, inter servos supplicia penderent.* Redditur ordini Larius Varius (74), consularis, avaritiæ criminibus olim percussus. Et Pomponia Græcina, insignis femina, Plautio, qui ovans se de Britannis retulit, nupta, ac *superstitionis externæ rea* (75), mariti iudicio permissa. Isque prisco instituto, propinquis coram, de capite famaue conjugis cognovit, & insontem nuntiavit. Longa huic Pomponiæ ætas, & continua tristitia fuit. Nam post Juliam, Drusi filiam, dolo Messalinæ interfertam, per quadraginta annos (76), non cultu nisi lugubri, non animo nisi mæsto egit. Idque illi, imperitante Claudio, impune, mox ad gloriam vertit.

*De repetundis postulantur P. Celer, Cossutianus
Capito, Eprius Marcellus.*

XXXIII. Idem annus plures reos habuit: quorum P. Celerem, accusante Asia, quia absolvere nequibat, Cæsar traxit, senectâ donec mortem obiret. Nam Celer, interfecto, ut memoravi, Silano proconsule, magnitudine sceleris cetera flagitia obtegebat. Cossutianum Capitonem Cilicês detulerant, *maculosam fædamque, & idem jus audaciæ in provincia ratum, quod in Urbe exercuerat.* Sed pervicaci accusatione (77) confictatus; postremo defensionem omisit, ac lege repetundarum damnatus est. Pro Eprio Marcello, a quo Lycii res repetebant, eo usque ambitus prævaluit, ut quidam accusatorum ejus exsilio multarentur, *tamquam insoni periculum fecissent.*



AN. U. C. DCCCXI. ÆR. CHR. 58.

Neronis liberalitas. Prolatum de obtinenda Armenia bellum acriter sumitur: Prisca severitate & disciplina firmato milite, Corbulo Armeniam ingreditur: urbem Artaxata capit & incendit.

XXXIV. Nerone tertium consule, simul iniiit consulatum Valerius Messala, cujus proavum, oratorem Corvium, divo Augusto, abavo Neronis, collegam in eo magistratu fuisse, pauci jam senum meminerant: sed nobili familiæ honor auctus est, oblatis in singulos annos quingenis sestertius (78), quibus Messala paupertatem innoxiam sustentaret. Aurelio quoque Cottæ, & Haterio Antonino, annuam pecuniam statuit Princeps, quamvis per luxum avitas opes dissipassent. Ejus anni principio, mollibus adhuc initiis prolatum inter Parthos Romanosque de obtinenda Armenia bellum, acriter sumitur: quia nec Vologeses sinebat, fratrem Tiridaten dati a se regni (79) expertem esse, aut alienæ id potentiæ donum habere: & Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur, parta olim a Lucullo Pompejoque recipere. Ad hæc Armenii ambigua fide utraque arma invitabant, situ

terrarum, similitudine morum Parthis propiores connubiisque permixti, ac libertate ignota, illum magis ad servitium inclinantes.

XXXV. Sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum, quam contra perfidiam hostium erat. Quippe Syria transmotæ legiones, pace longa segnes, mœtia Romanorum (§0) ægerrime tolerabant. Satis constitit, fuisse in exercitu veteranos, qui non stationem, non vigilias inissent; vallum fossamque quasi nova & mira viderent: sine galeis, sine loriceis, nitidi & quæstuosi, militiæ per oppida expleta. Igitur dimissis, quibus senectæ, aut valetudo adversa erat, supplementum petivit. Et habiti per Galatiam ac Cappadociam delectus: adjectaque ex Germania legio, cum equitibus alariis (§1), & peditatu cohortium: retentusque omnis exercitus sub pellibus, quamvis hieme sæva adeo, ut obducta glacie, nisi effossa humus, tentoriis locum non præberet. Ambusti multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati sunt: adnotatusque miles, qui fascem lignorum gestabat, ita præriguisse manus (§2), ut oneri adhærentes, truncis brachiis deciderent. Ipse cultu levi, capite intecto, in agmine, in laboribus, frequens adesse: laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere. Dehinc, quia duritiam cæli militiæque multi abnuebant, deserebantque, remedium severitate quæ-

situm est. Nec enim, ut in aliis exercitibus, primum alterumque delictum venia prosequeretur, sed, qui signa reliquerat, statim capite pœnas luebat (83): idque usu salubre, & misericordia melius apparuit. Quippe pauciores illa castra deseruere; quam ea, in quibus ignoscebatur.

XXXVI. Interim Corbulo, legionibus intra castra habitis, donec ver adolesceret, dispositisque per idoneos locos cohortibus auxiliariis, ne pugnam priores auderent, prædicit. Curam præsidiorum Pactio Orphito, primipili (84) honore perfuncto, mandat. Is quamquam incautos barbaros, & bene gerendæ rei casum offerri scripserat, *tenere se munitis, & majores copias opperiri jubetur*. Sed rupto imperio, postquam paucæ e proximis castellis turmæ advenerant, pugnamque imperitia poscebant, congressus cum hoste funditur. Et damno ejus exterriti, qui subsidium ferre debuerant, suâ quisque in castra trepida fuga rediere. Quod graviter Corbulo accepit: increpitumque Pactium, & præfectos, militesque, *tendere omnes extra vallum jussit*: inque ea contumelia detenti, nec, nisi precibus universi exercitus, exsoluti sunt.

XXXVII. At Tiridates, super proprias clientelas, ope Vologesi fratris adjutus, non furtim jam, sed palam bello infensare Armeniam, quosque fidos nobis rebatur, depopulari; & si copiæ contra du-

cerentur, eludere; huc quoque & illuc volitans (85) plura fama, quam pugna exterrere. Igitur Corbulo, quæsito diu proelio, frustra habitus, & exemplo hostium circumferre bellum coactus, dispartit vires, ut legati præfectique diversos locos pariter invaderent: simul regem Antiochum monet, *proximas sibi præfecturas petere*. Nam Pharasmanes, interfecto filio Rhadamisto, *quasi proditore sui*, quo fidem in nos testaretur, vetus adversus Armenios odium promptius exercebat. Tuncque primum illecti Isichi, gens haud alias socia (86) Romanis, avia Armeniæ incursum. Ita consilia Tiridati in contrarium vertebant. Mittebatque oratores, qui suo Parthorumque nomine expostularent, *cur datis nuper obsidibus, redintegrataque amicitia, quæ novis quoque beneficiis locum aperiret, vetere Armeniæ possessione depelleretur? Ideo nondum ipsum Vologesen commotum, quia causa, quam vi agere mallent. Sin perstaretur in bello; non de fore Arsacidis virtutem fortunamque, sæpius jam clade Romana expertam. Ad ea Corbulo, satis comperito, Vologesen defensione Hyrcaniæ attineri, suadet Tiridati precibus Cæsarem adgredi: posse illi regnum stabile, & res incruentas contingere, si omissa spe longinqua & sera, præsentem potiorremque sequeretur.*

XXXVIII. Placitum dehinc, quia commeantibus

invicem nuntiis, nihil in summam pacis proficiebatur, colloquio ipsorum tempus locumque destinari. *Mille equitum præsidium Tiridates affere sibi dicebat: quantum Corbuloni cujusque generis militum adsisteret, non statuere, dum, positis loriceis & galeis, in faciem pacis, veniretur.* Cuiuscumque mortalium, nedum veteri & provido duci, barbaræ astutiæ patuissent. Ideo arctum inde numerum finiri, & hinc majorem offerri, ut dolus pareretur. Nam equiti, sagittarum usu exercito, si detecta corpora objicerentur, nihil profuturam multitudinem. Dissimulato tamen intellectu (87), *rectius de his, quæ in publicum consulerentur, totis exercitiis coram disertaturos* respondit. Locumque delegit, cujus pars altera colles erant clementer adsurgentes, accipiendis peditum ordinibus; pars in planitiem porrigebatur, ad explicandas equitum turmas. Dieque pacto, prior Corbulo socias cohortes & auxilia regum pro cornibus; medio sextam legionem constituit; cui accita per noctem, alijs ex castris, tria millia tertianorum permiscuerat, una cum aquila, quasi eadem legio spectaretur. Tiridates, vergente jam die, procul adstitit, unde videri magis, quam audiri posset. Ita sine congressu dux Romanus abscedere militem suam quemque in castra jubet.

XXXIX. Rex, sive fraudem suspectans, quia plura simul in loca ibatur, sive ut commeatus no-

stros Pontico mari, & Trapezunte oppido advectantes interciperet, propere discedit. Sed neq̄ com meatibus vim facere potuit, quia per montes ducebantur præsidii nostris inessos: & Corbulone inritum bellum traheretur, utque Armenios a sua defendenda cogeret, excindere parat castella: sibi que, quod validissimum in ea præfectura, cognomento *Volandum*, sumit; minora Cornelio Flicco legato, & Instejo Capitoni, castrorum præfecto, mandat. Tum circumspexit munimentis, & quæ expugnationi idonea, provisit, hortatur milites, *ut hostem vagum, neque paci aut prælio paratum, sed perfidiam & ignaviam fuga confiterem; exuerent sedibus, gloria quo pariter & prædæ consulere.* Tum quadripartito exercitu, hæc in testudinem conglobatos (88), subruendo vallo inducit; alios scalas mœnibus admove, multos tormentis faces & hastas incutere jubet. Libratoribus funditoribusque attributus locus, unde eminus glandes torquerent (89); ne qua pars subsidium laborantibus ferret, pari undique motu (90). Tantis inde ardor certantis exercitus fuit, ut intra tertiam diei partem, nudati propugnatoribus muri, obices portarum subversi, capta escensu munimenta, omnesque puberes trucidati sint, nullo milite amisso, paucis admodum vulneratis: & imbelles vulgus sub corona venum datum: reliqua præda victoribus ces-

sit. Pari fortuna legatus ac præfectus usi sunt, tribusque una die castellis expugnatis, cetera terrore, & alia sponte incolarum, in deditiōem veniebant: unde orta fiducia caput gentis, Artaxata, adgrediendi. Nec tamen proximo itinere ductæ legiones, quæ si amnem Araxen, qui mœnia adluit, ponte transgredierentur, sub ictum dabantur: procul, & latioribus vadis transiere.

XL. At Tiridates, pudore & metu, ne, si concessisset obsidioni, nihil opis in ipso videretur; si prohiberet, impeditis locis, seque & equestres copias inligaret: statuit postremo ostendere aciem, & dato die (91) prælium incipere, vel simulatione sagæ, locum fraudi parare. Igitur repente agmen Romanum circumfundit; non ignaro duce nostro, qui viæ pariter & pugnæ composuerat exercitum. Latere dextro tertia legio, sinistro sexta incedebat, mediis decumanorum delectis, recepta inter ordines impedimenta, & tergum mille equites tuebantur: quibus jusserat, *ut instantibus cominus resisterent, refugos non sequerentur*. In cornibus pedites sagittariique, & cætera manus equitum ibat, productior cornu in sinistra per ima collium, ut si hostis intravisset, fronte simul & sinu exciperetur. Adsaltare ex diverso Tiridates, non usque ad jactum telli, sed tum minitans, tum specie trepidantis, si laxare ordines (92) & diversos consecrari posset.

Ubi nihil temeritate solutum, nec amplius, quam decurio equitum, audentius progressus, & sagittis confixus, ceteros ad obsequium exemplo firmaverat, propinquis jam tenebris abscessit.

XLI. Et Corbulo, castra in loco metatus, an expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret, obsidioque circumdaret, agitavit, concessisse illuc Tiridaten ratus. Dein postquam exploratores attulere *longinquum regis iter, & Medi an Albani peterentur, incertum*, lucem opperitur: præmissaque levis armatura, quæ muros interim ambiret, oppugnationemque eminus inciperet. Sed oppidani, portis sponte patefactis, se suaque Romanis permisere: quod salutem ipsis tulit. Artaxatis ignis immissus, deletaque & solo adæquata sunt: quia nec teneri (93) sine valido præsidio, ob magnitudinem mœnium, nec id nobis virium erat, quod firmando præsidio, & capessendo bello divideretur: vel si integra & incustodita relinquerentur, nulla in eo utilitas aut gloria, quod capta essent. Adjicitur miraculum, velut numine oblatum. Nam cuncta extra, tectis tenuis, sole industria fuere; quod mœnibus cingebatur, ita repente atra nube coopertum, fulguribusque discretum est, ut, quasi insensantibus deis, exitio tradi crederetur. Ob hæc consalutatus imperator Nero: ex senatusconsulto *supplicationes habitæ: statuæque & arcus, & continui consulatus*

Principi: utque inter festos referretur dies, quo patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum de ea esset, aliaque in eandem formam decernuntur, adeo modum egressa, ut C. Cassius (94), de ceteris honoribus adsensus, si pro benignitate fortunæ diis grates agerentur, ne totum quidem annum supplicationibus sufficere disseruerit: eoque oportere dividi sacros & negotiosos dies, quibus divina colerent, & humana non impedirent.

P. Suius Romæ damnatur.

XLII. Variis deinde casibus jactatus, & multorum odia meritis reus, haud tamen sine invidia Senecæ, damnatur. Is fuit P. Suius (95), imperitante Claudio, terribilis ac venalis, & mutatione temporum, non, quantum inimici cuperent, demissus: quique se nocentem videri, quam supplicem mallet. Ejus opprimendi gratia repetitum credebatur senatusconsultum, pœnaque Cinciae legis (96), adversus eos, qui pretio causas oravissent: nec Suius questu aut exprobratione abstinebat, præter ferociam animi, extrema senecta liber, & Senecam increpans, *insensum amicis Claudii, sub quo justissimum exsilium pertulisset. Simul studiis inertibus, & juvenum imperitia suctum, vivere bis, qui vividam & incorruptam eloquentiam tuendis civibus*

*exercerent. Se quaestorem Germanici; illum domus
ejus adulteram (97) fuisse. An gravius existiman-
dum, sponte litigatoris, praemium honestae opera
adsequi, quam corrumpere cubicula Principum fe-
minarum? Qua sapientia, quibus philosophorum
praecipis; intra quadriennium regiae amicitiae, ter
millies sestertium (98) paravisset? Romae testamen-
ta & orbos, velut indagine ejus capi. Italiam &
provincias immenso fenore hauriri. At sibi labore
quaesitam, & modicam pecuniam esse. Crimen,
periculum, omnia potius toleraturum, quam vete-
rem, ac olim partam (99) dignationem subita fe-
licitati submitteret.*

XLIII. Nec deerant, qui haec iisdem verbis,
aut versa in deterius, Senecae deferrent. Reperti-
que accusatores, direptos socios, cum Suius pro-
vinciam Asiam regeret, ac publicae pecuniae peculatum
detulere. Mox, quia inquisitionem annuam (100)
impetraverant, brevius visum, suburbana crimina
incipi, quorum obvii testes erant. Ii, acerbitate
accusationis Q. Pomponium (101) ad necessitatem
belli civilis detrusum: Juliam, Drusi filiam, Sabi-
namque Poppaeam ad mortem actas; & Valerium
Asiaticum, Lusium Saturninum, Corneliium Lupum
circumventos; jam equitum Romanorum agmina
damnata, omnemque Claudii saevitiam Suius obje-
ctabant. Ille, nihil ex his sponte susceptum, sed

Principi paruisse defendebat, donec eam orationem
Cæsar cohibuit, compertum sibi referens ex commen-
tariis patris sui, nullam cujusquam accusationem
ab eo coactam. Tum jussa Messalinæ prætendi,
& labare defensio. Cur enim neminem aliis dele-
ctum, qui sævienti impudicæ vocem præberet? Pu-
niendos rerum atrocium ministros, ubi pretia scœ-
lerum adepti, scelera ipsa aliis delegenti. Igitur
adempta bonorum parte (102) (nam filio & nepti
pars concedebatur, eximebanturque etiam, quæ te-
stamento matris, aut aviæ acceperant) in insulas
Baleares pellitur: non in ipso discrimine, non post
damnationem fractus animo. Ferebaturque copiosa
& molli vita secretum illud toleravisse. Filium ejus
Nerullinum adgressis accusatoribus, per invidiam pa-
tris, & crimina repetundarum, intercessit Princeps,
tamquam satis expleta ultione.

Octavius Sagitta, amore vecors, Pontiam ferro
transverberat: mira liberti fides.

XLIV. Per idem tempus, Octavius Sagitta, plebei tribunus, Ponticæ, mulieris nuptæ, amore vecors, ingentibus donis adulterium, & mox, ut omitteret maritum, emerccatur; suum matrimonium promittens, ac nuptias ejus pactus. Sed ubi mulier vacua fuit, necere moras, *adversam patris volun-*

tatem causari, repertaque spe ditioris conjugis, promissa exuere. Octavius contra modo conqueri, modo minitari, *famam perditam, pecuniam exhaustam* obtestans: denique salutem, quæ sola reliqua esset, arbitrio ejus permittens. Ac postquam spernebatur, *noctem unam ad solatium* poscit, *qua delinitus, modum in posterum adhiberet*. Statuitur nox. Et Pontia consciæ ancillæ custodiam cubiculi mandat. Ille, uno cum liberto, ferrum veste occultum infert. Tum, ut adsolet in amore & ira, jurgia, preces, exprobratio, satisfactio, & pars tenebrarum *libidini seposita* (103). Et questu incensus, nihil metuentem ferro transverberat, & accurrentem ancillam vulnere absterret, cubiculoque prorumpit. Postera die manifesta cædes, haud ambiguus percussor: quippe mansitasse una convincebatur. Sed libertus *suum illud facinus profiteri, se patroni injurias ultum esse*. Commoveratque quosdam magnitudine exempli: donec ancilla, ex vulnere refecta, verum aperuit: postulatusque apud consules a patre interfectæ, postquam tribunatu abierat, sententia patrum, & lege de sicariis condemnatur (104).

Sabinam Poppæam amare incipit Nero.

XLV. Non minus insignis, eo anno, impudicitia magnorum reipublicæ malorum initium fecit.

Erat in civitate Sabina Poppæa, T. Ollio patre genita, sed nomen avi materni sumpserat, inlustri memoria Poppæi Sabini (105), consulari & triumphali decore præfulgentis. Nam Ollium, honoribus nondum functum, amicitia Sejani pervertit. Huic mulieri cuncta alia fuere, præter honestum animum. Quippe mater ejus, ætatis suæ feminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter & formam dederat. Opes claritudini sufficiebant. Sermo comis, nec absurdum ingenium: modestiam præferre, & lascivia uti: rarus in publicum egressus; idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat. Famæ numquam pepercit, maritos & adulteros non distinguens: neque affectui suo, aut alieno obnoxia, unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferbat. Igitur agentem eam in matrimonio Rufi Crispini, equitis Romani, ex quo filium genuerat, Otho pellexit juventa ac luxu, & quia flagrantissimus in amicitia Neronis habebatur. Nec mora, quin adulterio matrimonium jungeretur.

XLVI. Otho, sive amore incautus (106), laudare *formam elegantiamque uxoris* apud Principem; sive ut accenderet, ac, si eadem femina potirentur, id quoque vinculum potentiam ei adjiceret. Sæpe auditus est consurgens e convivio Cæsaris, *se ire ad illam, sibi concessam dictitans nobilitatem, pulchritudinem* (107), *vota omnium, & gau-*

dia felicium. His atque talibus iritamentis, non longa cunctatio interponitur. Sed accepto aditu, Poppæa primum per blandimenta & artes valescere, *imparem cupidini se, & forma Neronis captam simulans*: mox, acri jam Principis amore, ad superbiam vertens, si ultra unam alteramque noctem attineretur, *nuptam esse se dicitans, nec posse matrimonium amittere, devinctam Othoni per genus vitæ, quod nemo adæquaret.* Illum animo & cultu magnificum: ibi se summa fortuna digna visere. At Neronem pellice ancilla, & adsuetudine Actes devinctum, nil e contubernio servili, nisi abjectum & sordidum traxisse. Dejicitur familiaritate sueta, post congressu & comitatu, Otho: & ad postremum, ne in Urbe æmulatus ageret, provinciæ Lusitaniæ præficitur: ubi usque ad civilia arma, non ex priore infamia, sed integre sancteque egit, pro-cax otii, & potestatis temperantior.

Cornelius Sulla Massiliam amovetur.

XLVII. Hactenus Nero flagitiis & sceleribus velamenta quæsit. Suspectabat maxime Cornelium Sullam. (103), socors ingenium ejus in contrarium trahens, callidumque & simulatorem interpretando. Quem metum Graptus, ex libertis Cæsaris, usu & senecta a Tiberio usque domum Principum edoctus,

tali mendacio intendit. Pons Milvius, in eo tempore, celebris nocturnis inlecebris erat: ventitabatque illuc Nero, quo solutius Urbem extra lasciviret. Igitur *regredienti per viam Flaminiam compositas insidias, fatoque evitatas, quoniam diverso itinere Sallustianos in hortos remeaverit, auctoremque ejus doli Sullam, ementitur*: quia forte, redeuntibus ministris Principis, quidam, per juvenilem licentiam, quæ tunc passim exercebatur, inane metum fecerant. Neque servorum quisquam, neque clientium Sullæ agnitus: maximeque despecta, & nullius ausi capax natura ejus, a crimine abhorrebat: perinde tamen, quasi convictus esset, cedere patria, & Massiliensium mœnibus coerceri jubetur.

Puteolanorum seditio.

XLVIII. Iisdem consulibus auditæ Puteolanorum legationes, quas diversas ordo (109) plebesque ad senatum miserant: illi vim *multitudinis*, hi *magistratum* & *primi cujusque avaritiam* increpantes. Cumque seditio, ad saxa & minas ignium progressa, necem & arma perliceret, C. Cassius adhibendo remedio delectus: quia severitatem ejus non tolerabant, precante ipso, ad Scribonios fratres ea cura transfertur, data cohorte prætoris: cujus ter-

rore, & paucorum supplicio, rediit oppidanis concordia.

Pætus Thræsea leviori senatusconsulto contradicit, ut Patrum honos cresceret.

XLIX. Non referrem vulgatissimum senatusconsultum, quo civitati Syracusanorum egredi númerum, edendis gladiatoribus finitum (110), permittebatur; nisi Pætus Thræsea contra dixisset, præbuissetque materiem obrectatoribus arguendæ sententiæ. *Cur enim, si rempublicam egere libertate senatoria crederet, tam levia consecraretur? quis de bello aut pace, de vestigalibus & legibus, quibusque aliis res Romana continetur (111), suaderet dissuaderetve? Licere patribus, quotiens jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent, expromere, relationemque in ea postulare (112). An solum emendatione dignum, ne Syracusis spectacula largius ederentur? Cetera per omnes imperii partes perinde egregia, quam si non Nero, sed Thræsea regimen eorum teneret? Quod si summa (113) dissimulatione transmitterentur, quanto magis inanibus abstinendum? Thræsea contra, rationem poscentibus amicis, non præsentium ignarum, respondebat, ejusmodi consulta corrigere: sed patrum honori dare, ut manifestum fieret, magnarum rerum curam*

non dissimulaturos, qui animum etiam levissimis adverterent.

*Publicanorum immodestia. Vætigalia contra Nero-
nis impetum retenta. Leges cujusque publici,
occultæ ad id tempus, proscribuntur.*

L. Eodem anno, crebris populi flagitationibus, immodestiam publicanorum arguentis, dubitavit Nero, an cuncta vætigalia omitti juberet; idque pub-
cèrrimum donum generi mortalium daret. Sed im-
petum ejus, multum prius laudata magnitudine ani-
mi, attinuere senatores, dissolutionem imperii do-
cendo, si fructus, quibus respublica sustineretur,
deminuerentur. Quippe, sublatis portorii (114),
sequens, ut tributorum abolitio expostularetur. Ple-
rasque vætigalium societates (115), a consulibus
& tribunis plebis constitutas, acri etiam populi Ro-
mani tam libertate. Reliqua mox ita provisæ, ut
ratio quæstum & necessitas erogationum inter se
congruerent. Temperandas plane publicanorum cupi-
dines, ne per tot annos sine querela tolerata, ne-
vis acerbitatibus ad invidiam verterent (116).

LI. Ergo edixit Princeps, ut leges cujusque pu-
blici (117), occultæ ad id tempus, proscriberentur:
omissas petitiones non ultra annum resumerent.
Romæ prætor, per provincias, qui pro prætore

aut consule essent, jura adversus publicanos extra ordinem redderent: militibus immunitas servaretur, nisi in iis, quæ veno exercerent; aliaque admodum æqua, quæ brevi servata, dein frustra habita sunt. Manet tamen abolitio quadragesimæ quinquagesimæque (118), & quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant. Temperata apud transmarinas provincias frumenti subvectio. Et ne censibus negotiatorum naves adscriberentur, tributumque pro illis penderent, constitutum.

LII. Reos ex provincia Africa, qui proconsulare imperium illic habuerant, Sulpicium Camerinum, & Pomponium Silvanum, absolvit Cæsar: Camerinum adversus privatos & paucos, sævitiae magis quam captarum pecuniarum crimina objicientes. Silvanum magna vis accusatorum circumsteterat, poscebatque *tempus evocandorum testium*: reus *illico defendi* postulabat; valuitque pecuniosa orbitate & senectâ, quam ultra vitam eorum produxit, quorum ambitu evaserat.



*In Germania Frisii res movent : insessis juxta
Rhenum agris mox jussi decedere : capti cæ-
sive , qui restituerent. Eosdem agros , pari
fato , occupant Ansibarii.*

LIII. Quietæ ad id tempus res in Germania fuerant , ingenio ducum , qui , pervulgatis triumphis insignibus , majus ex eo decus sperabant , si pacem continuavissent. Paullinus Pompejus , & L. Vetus , ea tempestate exercitui præerant . Ne tamen se- gnem militem attinerent , ille inchoatum ante tres & sexaginta annos (119) a Druso aggerem , coer- cendo Rheno , absolvit : Vetus Mosellam atque Ara- rim , facta inter utrumque fossa , connectere para- bat (120) , ut copiæ per mare , dein Rhodano & Arare subvectæ , per eam fossam , mox fluvio Mo- sella , in Rhenum , exin Oceanum decurrerent : su- blatisque itinerum difficultatibus , navigabilia inter se Occidentis Septentrionisque litora fierent . In- vidit operi Ælius Gracilis , Belgicæ legatus , deter- rendo Veterem , *ne legiones alienæ provinciæ infer- ret , studiaque Galliarum adfectaret : formidolosum id Imperatori dictitans ; quo plerumque prohibentur conatus honesti.*

LIV. Ceterum continuo exercituum otio , famâ incessit , ereptum jus legatis ducendi in hostem . Eo-

que Frisii juventutem saltibus aut paludibus, inbellem ætatem per lacus admovere ripæ, agrosque vacuos, & militum usui sepositos, insedere, auctore Verrito & Malorige, qui nationem eam regerant, in quantum Germani regnantur. Jamque fixerant domos, semina arvis intulerant, utque patriam solum exercebant; cum Vibius Avitus, accepta a Paullino provincia, minitendo *vim Romanam, nisi abscederent Frisii veteres in locos, aut novam sedem a Cæsare impetrarent*, perpulit Verritum & Malorigem preces suscipere. Profectique Romam, dum aliis curis intentum Neronem opperiantur, inter ea, quæ barbaris ostentantur, intravere Pompeji theatrum, quo magnitudinem populi viderent. Illic per otium (neque enim ludicris ignari oblectabantur) dum *consessum caveæ, discrimina ordinum, quis eques, ubi senatus percunctantur*, advertere quosdam cultu externo in sedibus senatorum: & *quinam forent* rogantes, postquam audiverant, *earum gentium legis id honoris datum, quæ virtute & amicitia Romana præcellerent*: NULLOS MORTALIUM ARMIS AUT FIDE ANTE GERMANOS ESSE, exclamant, degrediunturque, & inter patres considunt: quod comiter a visentibus exceptum, quasi impetus antiqui (121), & bona æmulatione. Nero civitate Romana ambos donavit. Frisios decedere agris jussit. Atque illis adspersanti-

bus, auxiliaris eques repente immissus, necessitatem attulit, captis cæsisve, qui pervicacius restiterant.

LV. Eisdem agros Ansibarii occupavere, validior gens, non modo sua copia, sed adjacentium populorum miseratione: quia pulsus a Chaucis, & sedis inopes, tutum exsilium orabant. Aderatque iis clarus per illas gentes, & nobis quoque fidus, nomine Bojocalus, *vincitum se rebellione Cberusca, jussu Arminii, referens; mox Tiberio & Germanico ducibus, stipendia meruisse; & quinquaginta annorum obsequio id quoque adjungere, quod gentem suam ditioni nostræ subjiceret. Quotam partem campi jacere, in quam pecora & armenta militum aliquando transmitterentur? Servarent sane receptos gregibus (122), inter hominum famam; modo ne vastitatem & solitudinem mallet, quam amicos populos. Chamavorum quondam ea arva, mox Tubantum, & post Usipiorum fuisse. Sicuti celum diis, ita terras generi mortalium datas: quæque vacuæ, eas publicas esse. Solem deinde respiciens, & cetera sidera vocans, quasi coram interrogabat, vellentne contuori inane solum? potius mare superfunderent adversus terrarum ereptores.*

LVI. Et commotus his Avitus, *patienda meliorum imperia. Id diis, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid*

darent, quid adimerent; neque alios iudices, quam seipsum (123), paterentur. Hæc in publicum An-
 sibiis respondit; ipsi Bojocalo, ob memoriam amici-
 citiæ daturum agros: quod ille, ut proditionis præ-
 tium, aspernatus addidit: *Deesse nobis terra, in
 qua vivamus; in qua moriamur, non potest:* at-
 que ita, infensis utrimque animis, discessum. III
 Bructeros; Tencteros, ultiores etiam nationes so-
 cias bello vocabant. Avitus, scripto ad Curtium
 Mancium, superioris exercitus legatum, ut *Rhenum
 transgressus, arma a tergo ostenderet;* ipse legio-
 nes in agrum Tencterum induxit, *excidium mini-
 tans, nisi causam suam dissociarent.* Igitur absi-
 stentibus his, pari metu exterriti Bructeri; & ce-
 teris quoque aliena pericula deserentibus, sola An-
 sibiiorum gens retro ad Usipios & Tubantes con-
 cessit: quorum terris exacti, cum Cattos, dein
 Cheruscos petissent, errore longo, hospites, ege-
 ni, hostes, in alieno, quod iuventutis erat, cæ-
 duntur. Imbellis ætas in prædam divisa est.

*Inter Hermunduros Cattosque bellum, Cattis
 exitiosum.*

LVII. Eadem æstate, inter Hermunduros Cat-
 tosque certatum magno prælio, dum flumen, gi-
 gnendo sale fecundum, & conterminum, vi tra-

hunt; super libidinem cuncta armis agendi, religio-
 ne insita, eos maximo locos propinquare celo, pre-
 cesque mortalium a deis nusquam propius audiri.
 Inde indulgentia numinum, illo in amne, illisque
 silvis, salem provenire, non, ut alias apud gen-
 tes, eluvio maris arescente, sed unda super arden-
 tem arborum struem fusa, ex contrariis inter se
 elementis, igne atque aquis concretum. Sed bellum
 Hermunduris prosperum, Cattis exitiosius fuit, quia
 victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacra-
 vere, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni
 dantur, & minæ quidem hostiles in ipsos verte-
 bant (124). Sed civitas Juhonum (125), socia no-
 bis, malo improvise afflicta est. Nam ignes terra
 editi, villas, arva, vicos passim corripiebant, fe-
 rebanturque in ipsa conditæ nuper coloniæ mœnia:
 neque exstingui poterant: non si imbrēs caderent,
 non fluvialibus aquis, aut quo alio humore (126):
 donec inopia remedii, & ira cladis, agrestes qui-
 dam eminus saxa jacere, dein, residentibus flam-
 mis, propius sgressi, icu fustium, aliisque ver-
 beribus, ut feras absterrebant: postremo tegmina
 corpori derepta injiciunt, quanto magis profana, &
 usu polluta, tanto magis oppressura ignes.



Ruminalis arbor revirescit.

LVIII. Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quæ octingentos & quadraginta ante annos (127) Remi Romulique infantiam texerat, motuis ramalibus & arescente trunco deminutam, prodigii loco habitum est, donec in novos fetus reviresceret.



B R E V I A R I U M
LIBRI DECIMI QUARTI.

I. *Nero, flagrantior in dies amore Poppææ, Agrippinam, matrem suam, interficit. XI. Literas ad senatum mittit, quibus factum excusat. XII. Decernuntur supplicationes. Thrasea, fœditatis impatiens, exit senatu. XIII. In omnes libidines se effundit Nero. XVII. Atrox cædes inter colonos Nucerinis & Pompejanos. XVIII. Res Cyrenensium. Mortes inlustres. XX. Quinquennale ludicrum Romæ institutum. XXII. Rubellius Plautus amovetur. XXIII. Corbulo in Armenia strenue rem gerit: captis Tigranocertis, regem imponit Tigranem. XXVII. Laodicea, tremore terræ prolapsa, propriis opibus revaluit. Coloniarum infrequentia male consultum. XXVIII. Comitia prætorum composita. XXIX. Gravis clades in Britannia accepta, dum Suetonius Paullinus Mona insulam adgreditur: tota pæne provincia amissa; quam tamen mira constantia & unius prælii successu Suetonius retinuit. XL. Insignia scelera. Præfektum Urbis servus ipsius interficit: supplicium de familia sumptum. XLVI. Tarquitijs Priscus damnatur.*

*sus per Gallias acti. XLVII. Mors Memmii Regu-
 li. Gymnasium dedicatum. XLVIII. Lex Majesta-
 tis revocata. LI. Gravescentibus publicis malis,
 vita concessit Burrus. LII. Morte Burri infracta
 Senecæ potentia: ut criminantium invidiæ occurrat,
 Neronem adloquitur: subdole respondet Princeps.
 LVII. Validior in dies Trigellinus, Plantium &
 Sullam interfici curat. LX. Nero Octaviam extur-
 bat: Poppæe conjungitur. Seditionem super ea re
 populus movet: inde maturatur Octaviæ exitium.
 In Pandataria insula interficitur.*



Gesta hæc annis circiter quatuor.

AN. U. C. ÆR. CHR.

DCCCXII. 59. *Coss.*

* C. VIPSTANO Apronia-
* no,
* L. FONTEJO Capitone.

DCCCXIII. 60. *Coss.*

* NERONE CLAUDIO Cæ-
* sare IV,
* COSSO CORNELIO Len-
* tulo.


DCCCXIV. 61. *Coss.*

* CÆSONIO PÆTO,
* PETRONIO TURPILIA-
* NO.

DCCCXV. 62. *Coss.*

* P. MARIO Celsor,
* L. ASIPIO Gallo.





AN. U. C. DCCXXII. ÆR. CHR. 59.

Nero, flagrantior in dies amore Poppæ, Agrippinam, matrem suam, interficit,

I. **C**AJO Vipstano (1), Fontejo consulibus, diu meditatam scelus non ultra Nero distulit, vetustate imperii coalita audaciâ, & flagrantior in dies amore Poppæ, quæ sibi matrimonium, & discidium Octaviæ, incolum Agrippina, haud sperans, crebris criminationibus, aliquando per facetias incusaret Principem, & pupillum vocaret, qui jussis alienis obnoxius, non modo imperii, sed libertatis etiam indigeret. Cur enim differri nuptias suas? formam scilicet displicere, & triumphales avos (2)? An fecunditatem, & verum animum (3)? timeri, ne uxor saltem injurias patrum (4), iram populû adversus superbiam avaritiamque matris aperiat. Quod si nurum Agrippina, non nisi filio infestam, ferre posset, reddatur ipsa Othonis conjugio: ituram quoque terrarum, ubi audiret potius contu-

melias. Imperatoris, quam viseret, periculis ejus immixta: Hæc atque talia, lacrymis & arte adulteræ penetrantia, nemo prohibebat; cupientibus cunctis infringi matris potentiam, & credente nullo, usque ad eandem ejus duratura filii odia.

II. Tradit Cluvius; *ardore retinendæ Agrippinam potentia eo usque provehitam, ut medio diei (5), cum id temporis Nero per vinum & opulas incalesceret, offerret se sapius temulento comptam, & incesto paratam. Jamque lasciva oscula, & prænuntias flagitii blanditias, adnotantibus proximis; Senecam contra muliebres inlecebras subsidium a femina petivisse: immissamque Acten libertam, quæ, simul suo periculo, & infamia Neronis anxia, deferret, perculgatum esse incestum, gloriantem matre; nec toleraturos milites profani Principis imperium. Fabius Rusticus, non Agrippinæ, sed Neroni cupitum id memorat, ejusdemque libertæ astu disjectum. Sed quæ Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere; & fama huc inclinat, seu concepit animo tantum immanitatis Agrippinæ, seu credibilior novæ libidinis meditatio in ea visa est, quæ puellaribus annis stuprum cum Lepido (6), spe dominationis, admiserat; pari cupidine usque ad libita Pallantis provoluta, & exercita ad omne flagitium patruæ nuptiis.*

III. Igitur Nero vitare secretos ejus congressus

sus: abscedentem in hortos, aut Tusculanum, vel Antiatem in agrum, laudare, *quod otium laceraret*. Postremo, ubicumque haberetur, prægravatus, interficere constituit: hætenus consultans, *veneno, an ferro, vel qua alia vi*; placuitque primo venenum (7). Sed inter epulas Principis si daretur, referri ad casum non poterat, tali jam Britannici exitio; & ministros tentare arduum videbatur mulieris, usu scelerum adversus insidias intentæ: atque ipsa præsumendo remedia munierat corpus. Ferrum & cædes quoniam modo occultaretur, nemo reperiebat; &, ne quis, illi tanto facinori delectus, jussa sperneret, metuebat. Obtulit ingeniam Anicetus libertus, classi apud Misenum præfectus, & pueritiæ Neronis educator, ac mutuis odiis Agrippinæ invisus. Ergo *navem posse componi docet* (8), *cujus pars, ipso in mari per artem soluta, effunderet ignavam*. Nihil tam capax fortuitorum, quam mare; & si naufragio intercepta sit, quem adeo iniquum, ut sceleri adsignet, quod venti & fluctus deliquerint? *Additurum Principem defunctæ templum, & aras, & cetera ostentandæ pietati* (9).

IV. Placuit solertia, tempore etiam jura, quando Quinquatruum (10) festos dies apud Bajas frequentabat. Illuc matrem elicit, *ferendas parentum iracundias, & placandum animum* dictitans, quo

rumorem reconciliationis efficeret, acciperetque Agrippina (11), facili feminarum credulitate ad gaudia. Venientem dehinc, obvius in litora (nam Antio adventabat) excipit manu & complexu, ducitque Baulos: id villæ nomen est, quæ promontorium Misenum inter & Bajanum lacum flexo mari alluitur. Stabat inter alias navis ornatior, tamquam id quoque honori matris daretur. Quippe sueverat trîremi, & classiariorum remigio vehi. Actum invitata ad epulas erat, ut occultando facinori nox adhiberetur. Satis constitit, existisse proditorem, & Agrippinam, auditis insidiis, an crederet ambiguum, gestamine sellæ Bajas pervectam. Ibi blandimentum sublevavit metum (12), comiter excepta, superque ipsum collocata. Nam pluribus sermonibus, modo familiaritate juvenili Nero, & rursus adductus, quasi seria consociaret, tracto in longum convictu, prosequitur abeuntem, arctius oculis & pectori hærens, sive explenda simulatione, seu perituræ matris supremus aspectus quamvis ferum animum retinebat.

V. Noctem sideribus inlustrem, & placido mari quietam, quasi convincendum ad scelus, dii præbuere. Nec multum erat progressa navis, duobus e numero familiarium Agrippinam comitantibus: ex quibus Creperejus Gallus haud procul gubernaculis adstabat; Accerronia, super pedes cubitantis reclinis,

pœnitentiam filii, & recuperatam matris gratiam, per gaudium memorabat: cum, dato signo, rueret lectum loci, multo plumbo grave; pressusque Creperejus, & statim exanimatus. Agrippina & Acerronia eminentibus lecti parietibus, ac forte validioribus, quam ut oneri cederent (13), protectæ sunt: nec dissolutio navigii sequebatur, turbatis omnibus, & quod plerique ignari etiam conscios impediebant. Visum dehinc remigibus, unum in latus inclinare, atque ita navem submergere. Sed neque ipsis promptus in rem subitam consensus; & alii, contra nitentes, dedere facultatem lenioris in mare jactus. Verum Acerronia imprudens, dum se Agrippinam esse, utque subveniretur matri Principis, clamitat, contis & remis, & quæ fors obtulerat, navalibus telis conficitur. Agrippina silens, eoque minus agnita, unum tamen vulnus humero excepit. Nando, deinde occursum lenunculorum (14), Lucrinum in lacum vecta, villæ suæ infertur.

VI. Illic reputans, ideo se fallacibus literis accitam, & honore præcipuo habitam; quodque litus juxta, non ventis acta, non saxis impulsam navis, summa sui parte, veluti terrestre machinamentum, concidisset; observans etiam Acerroniæ necem; simul suum vulnus aspiciens: solum insidiarum remedium esse (15); si non intelligerentur: misit libertum Agerinum, qui nuntiaret filio, *benevolentia*

deum, & fortuna ejus evasisse gravem casum: orare, ut quamvis periculo matris exterritus, visendituram differret: sibi ad præsens quiete opus. Atque interim, securitate simulata, medicamina vulneri, & fomenta corpori adhibet. Testamentum Acerroniae requiri, bonaque obsignari jubet: id tantum non per simulationem (16).

VII. At Neroni, nuntios patris facinoris opperienti, adfertur, *evasisse ictu levi sauciam; & habere adito discrimine, ne auctor dubitaretur. Tum pavore exanimis, & jam jamque adfore obtestans, vindictæ properam; sive servitia armaret, vel militem accenderet, sive ad senatum & populum pervaderet, naufragium, & vulnus, & interfectos amicos objiendo: quod contra subsidium sibi? nisi quid Burrus & Seneca expromerent, (17):* quos statim acciverat, incertum an & ante ignaros. Igitur longum utriusque silentium, ne iriti dissuaderent; an eo descensum credebant, ut nisi præveniretur Agrippina, pereundum Neroni esset. Post Seneca, hastenus promptior, respicere Burrum, ac sciscitari, *an militi imperanda cædes esset? Ille prætorianos toti Caesarum domui obstrictos, memoresque Germanici; nihil adversus progeniem ejus atrox ausuros, respondit: perpetraret Anicetus promissa. Qui nihil cunctatus, postit summam sceleris (18). Ad eam vocem Nero, illo sibi die da-*

vi imperium, auctoremque tanti muneris libertati proficetur. Iret propere, duceretque promptissimum ad jussa. Ipse, audito, venisse missu Agrippinae nuntium Agerinum; scenam ultro criminis parat: gladiumque, dum mandata porfert, abjicit intus pedes ejus: tum quasi deprehenso, vincula injicit, jubet, ut, exitium Principis molitam matrem, & pudore deprehensi sceleris sponte mortem sumpsisset, confingeret.

VIII. Interim vulgato Agrippinae periculo, quascumque casu evenisset, ut quisque acceperat, decurrere ad litus. Hi molium objectus (19), hi proximas scaphas scandere: alii, quantum corpus sinebat, vadere in mare; quidam manus protendere. Questibus, votis, clamore diversa rogitantium, aut incerta respondentium, omnis ora compleri: adfluere ingens multitudo cum luminibus, atque, ubi incolumem esse pernotuit, ut ad gratandum, sese expedire, donec aspectu armati & minitantis agminis disjecti sunt. Anicetus villam statione circumdat, refractaque janua, obvios servorum arripit; donec ad fores cubiculi veniret: cui pauci adstabant, ceteris terrore inrumpentium exterritis. Cubiculo modicum lumen inerat, & ancillarum una: magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo a filio, ac ne Agerinus quidem. *Aliam fere litore faciem nunc, solitudinem (20) ac repentinos strepitus, & extremi ma-*

si indicia. Abeunte dehinc ancilla, Tu quoque me deseris, prolocuta, respicit Anicetum, trierarcho Herculeo, & Oloarito, centurione classiaro, comitatum. Ac, si ad visendum venisset, vestitam nuntiaret: sin facinus parvaturus, nihil se de filio credere; non imperatam parricidum. Circumstant lectum percussores, & prior trierarchus fusti caput ejus afflixit. Nam in mortem centurioni ferrum destringenti, protendens uterum, Ventrem feri, exclamavit: multisque vulneribus confecta est.

IX. Hæc consensu prodantur. Aspexeritne matrem exanimem Nero, & formam corporis ejus laudaverit, sunt qui tradiderint, sunt qui abnuant: Cremata est nocte eadem, convivali lecto (21), & exsequiis vilibus. Neque, dum Nero rerum potiebatur, congesta & clausa humus; mox domestico-rum cura, levem tunulum accepit, viam Miseni propter, & villam Cæsaris dictatoris, quæ subjectos sinus editissima prospectat. Accenso rogo, libertus ejus, cognomento Maester, ipse ferro se transegit: incertum caritate in patronam, an metu exitii. Hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina, contempseratque. Nam consulenti super Nerone, responderunt Chaldæi, fore ut imperaret, matremque occideret: atque illa, Occidat, inquit, dum imperet.

X. Sed a Cæsare, perfecto demum scelere, ma-

gnitudo ejus intellecta est: reliquo noctis, mo-
per silentium defixus, sæpius pavore exurgens, d-
mentis inops lucem opperiebatur, tamquam exitium
allaturam. Atque eum, auctore Burro; prima centu-
rionum tribunorumque adulatio ad spem firmavit, pre-
santium manu, gratantiumque, *quod discrimen in-
provisum, & matris facinus evasisset*. Amici de-
hinc adire templa: & cœpto exemplo, proxima
Campaniæ municipia vicinis & legationibus lati-
tiam testari. Ipse, diversa simulatione (22), ma-
stus, & quasi incolunitati suæ infensus, ac morti
parentis inlacrymans. Quia tamen non ut hominum
vultus, ita locorum facies mutantur, observabatur-
que maris illius & litorum gravis aspectus (& erant,
qui crederent, sonitum tubæ collibus circum editis,
planctusque tumulo matris audiri) Neapolim con-
cessit, literasque ad senatum misit, quarum sum-
ma erat.

*Literas ad senatum mittit, quibus factum
excusat.*

XI. *Reportum cum ferro percussorem Agerinum,
ex intimis Agrippinæ libertis, & luisse eam pœnam
conscientiæ, qua scelus paravisset. Adjiçebat cri-
mina longius repetita; quod consortium imperii,
juraturasque in feminæ verba prætorias cohortes,*

idemque dedecus senatus & populi speravisset : ac posteaquam frustra optata sint , infensa militibus (23) patribusque & plebi , dissuasisset donativum & congiarium , periculaque viris illustribus instruxisset . Quanto suo labore perpetratum , ne intrumperet curiam , ne gentibus externis responsa daret ? Temporum quoque Claudianorum obliqua insecratione , euncta ejus dominationis flagitia in matrem transtulit , publica fortuna extinctam referens : namque & naufragium narrabat . Quod fortuitum fuisse , quis adeo hebes inveniretur , ut crederet ? aut a muliere naufraga missum cum telo unum , qui cohortes , & classes Imperatoris perfringeret ? Ergo non jam Nero , cujus immanitas omnium questus anteibat , sed adverso rumore Seneca erat , quod oratione tali confessionem scripsisset ,

Decernuntur supplicationes . Thræsea , fœditatis impatientis , exit senatu ,

XII. Miro tamen certamine procerum decernuntur supplicationes apud omnia publinaria , ut quo Quinquatrus , quibus apertæ essent insidiæ , ludis annuis (24) celebrantur : aureum Minervæ simulacrum in curia , & juxta Principis imago statuatur : dies natalis Agrippinæ inter nefastos esset . Thræsea Pætus , silentio , vel brevi adsensu priores

adulationes transmitters solitus, exiit tūm senatū ac sibi causam periculi fecit, ceteris libertatis iūctium non præbuit. Prodigia quoque crebra & in tanta intercossere. Anguem enixa mulier; & alia concubitu mariti fulmine exanimata: jam sol repente obscuratus, & tactæ de cælo quatuordecim Ubi his regiones: quæ adeo sine cura deſum eveniebant (25), ut multos post annos Nero imperium & scelera continuaverit. Ceterum, quo gravare invidiam matris, eaque demota, auctam lenitatem suam testificaretur, feminas illustres, Juniam & Calpurniam (26), præfectura functos Valerium Capitonem & Licinium Gabolum, sedibus patriis reddidit, ab Agrippina olim pulsos. Etiam Lollia Paulinæ cineres reportari, sepulcrumque exstrui permisit: quosque ipse nuper relegaverat, Iturium & Calvisium, pœna exsolvit. Nam Silana fato functa erat, longinquo ab exilio Tarentum regressa, labante jam Agrippina, cujus inimicitis conciderat, vel tum mitigata.

In omnes libidines se effundit Nero.

XIII. Cunctanti in oppidis Campaniæ, quomodo modo Urbem ingrederetur; an obsequium senatus, an studia plebis reperires anxio, contra deterrimus quisque, quorum non alia regia secundior existit,

invisum Agrippinae nomen, & morte ejus accensum populi favorem disserunt. Iret intrepidus, & venerationem sui coram experiretur. Simul praegredi exposcunt, & promptiora, quam promiserant, inveniunt: obvias tribus, festo cultu senatum; conjugum ac liberorum agmina per sexum & aetatem disposita: extractos, qui incederet, spectaculorum gradus (27), quo modo triumphi visuntur. Hinc superbus, ac publici servitii victor, Capitolium adiit, grates exsolvit; seque in omnes libidines effudit, quas male coercitas qualiscumque matris reverentia tardaverat.

XIV. Vetus illi copia erat, curriculo quadrigarum insistere (28); nec minus sedum studium cithara ludicrum in modum canere, cum coenaret: quod regibus & antiquis ducibus facilitatem memorabat: idque patrum laudibus celebre, & decorum honori datum. Enimvero cantus Apollini sacros, talique ornatu adstare, non modo Graecis in urbibus, sed Romana apud templa, numerus praecipuum, & praescium. Nec jam sisti poterat, cum Senecae ac Burræ visum, ne utraque pervinceret, alterum concedere. Clausumque valle Vaticana spatium, in quo equos regeret, haud promissuo spectaculo: mox ultro vocari populus Romanus, laudibusque extollere, ut est vulgus sapiens voluptatum; et, si eodem Princeps trahat, letum. Ceterum evul-

gatus pudor non satietatem, ut rebantur, sed incitamentum attulit. Ratusque dedecus molliri (29), si plures fuerasset, nobilium familiarum posteros, egestate venales; in scenam deduxit: quos fato perfunctos, ne nominatim tradam, majoribus eorum tribuendum puto. Nam & ejus flagitium est, qui pecuniam ob delicta potius dedit, quam ne delinquerent. Notos quoque equites Romanos operas arenæ promittere subegit, donis ingentibus: nisi quod merces ab eo, qui jūbere potest, vim necessitatis adfert.

XV. Ne tamen adhuc publico theatro dehonestaretur, instituit ludos, *Juvenalium* vocabulō (30), in quos passim nomina data: non nobilitas cuiquam, non ætas, aut acti honores impedimento, quominus Græci Latinive histrionis artem exercerent, usque ad gestus modosque haud viriles. Quin & feminae inlustres deformia meditari: extructaque apud nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus, conventicula, & cauponæ, & posita veno irritamenta luxus: dabanturque stipes (31), quas homi necessitate, intemperantes gloria, consumerent: Inde gliscere flagitia & infamia: nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit, quam illa colluvies. Vix artibus honestis pudor retinetur; nequum, inter certamina vitiorum, pudicitia, aut modestia, aut quidquam probi moris, re-

servaretur. Postremo ipse scenam incedit (32), multa cura tentans citharam & præmeditans; adstantibus familiaribus: accesserat cohors militum, centuriones, tribunique; & mærens Burrus, ac laudans. Tuncque primum conscripti sunt equites Romani, cognomento *Augustanorum*, ætate ac robore conspicui, & pars ingenio procaeres, alii in spe potentiae. Hi dies ac noctes plausibus personare; formam Principis vocemque deum vocabulis appellantes: quasi per virtutem clari honoratique agere.

XVI. Ne tamen ludicrae tantum Imperatoris artes notescerent, carminum quoque studium affectavit, contractis, quibus aliqua pangendi facultas. Nec dum insignis ætatis nati (33), considerare simul, & allatos, vel ibidem repertos versus coniectere; atque ipsius verba, quoquo modo prolata, supplere: quod species ipsa carminum docet, non impetu & instinctu, nec ore uno fluens. Etiam sapientiae doctoribus tempus impertiebat post epulas, utque contraria adseverantium discordiae eruerentur (34): nec deerant, qui ore vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent.

*Atror cædes inter colonos Nucerinor &
Pompejanos.*

XVII. Sub idem tempus, levi contentione atror cædes orta inter colonoꝝ Nucerinor Pompejanor que, gladiatorio ſpectaculo, quod Livinejuſ Reguluſ, quem motum ſenatu retuli (35), edebat: quippe oppidana laſcivia invicem inceſſentes, probra, deinde ſaxa, poſtremo ferrum ſumpſere, validiore Pompejanorum plebe, apud quor ſpectaculum edebatur. Ergo reportati ſunt in urbem multi e Nucerinis, trunco per vulnera corpore, ac plerique liberorum ac parentum morteſ deſſebant. Cujor rei judicium Princepſ ſenatu, ſenatuſ conſulibuſ permiſit. Et ruruſ re ad patreſ relata, prohibiti publice in decem annor ejuſmodi cœtu Pompejani, collegiaque, quæ contra legeſ iſtituerant, diſſoluta. Livinejuſ, & qui alii ſeditionem conciverant, exilio multati ſunt.

Reſ Cyrenenſium. Morteſ inluſtreſ.

XVIII. Motuſ ſenatu & Pediuſ Blæſuſ, accuſantibuſ Cyrenenſibuſ, violatum ab eo theſaurum *Æſculapii*, delectumque militarem pretio & ambitione corruptum. Iidem Cyrenenſeſ reum agebant Aci-

lium Strabonem, prætoriam potestate usum (36), & missum disceptatorem a Claudio agrorum, quos, regis Apionis (37) quondam habitos, & populo Romano cum regno relictos, proximus quisque possessor invaserant, diutinaque licentia & injuria, quasi jure & æquo, nitebantur. Igitur abjudicatis agris, orta adversus judicem invidia: & senatus, *ignota sibi esse mandata Claudii, & consulendam Principem* respondit, Nero, probata Strabonis sententia, *se nihilominus subvenire sociis, & usurpata concedere*, scripsit.

XIX. Sequuntur virorum illustrium mortes, Domitii Afri, & M. Servilii, qui summis honoribus, & multa eloquentia viguerant. Ille orando causas, Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris, & elegantia vitæ, quam clariorrem effecit (38), ut par ingenio, ita morum diversus.

AN. U. C. DCCCXIII. ÆR. CHR. 60.

Quinquennale ludicrum Romæ institutum.

XX. Nerone quartum, Cornelio Cossu consulis, quinquennale ludicrum Romæ institutum est, ad morem Græci certaminis, varia fama, ut cuncta ferme nova. Quippe erant, qui *Cn. quoque*

Pompejum incusatum a senioribus ferrent, quo mansuram theatri sedem posuisset: nam antea subitariis gradibus, & scena in tempus structa, ludos edi solitos: vel si vetustiora repetas, statim populum spectavisse: ne si consideret, theatro dei totos ignavia continuaret. Spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetores ederem, nulla cuiquam civium necessitate certandi (39). Ceterum abolitos paullatim patrios mores, funditus everti per accitam lasciviam, ut, quod usquam corrumpi & corrumpere queat, in Urbe visatur, degeneretque studiis externis juvenus, gymnasia & otia, & turpes amores exercendo, Principe & senatu auctoribus: qui non modo licentiam vitii permiserint, sed vim adhibeant: proceres Romani, specie orationum & carminum, scena polluantur. Quid superesse, nisi ut corpora quoque nudent, & castus assumant, easque pugnas promilitia & armis meditentur? An justitiam augurii, & decurias equitum (40), egregium judicandi munus expleturos, si fractos sonos & dulcedinem vocum perire audissent? Noctes quoque dedecori adjectas, ne quod tempus pudori relinquatur, sed, cætu promiscuo, quod perditissimus quisque per diem concupiverit, per tenebras audeat.

XXI. Pluribus ipsa licentia placebat, ac tamen honesta nomina prætendebant: Majores quoque non

*abhorruisse spectaculorum oblectamentis, pro fortuna, quæ tum erat; eoque a Tuscis accitos histiones (41); a Thuriis equorum certamina; & possessa Achaja Asiaque, ludos curatius editas: neque quemquam, Romæ honesto loco ortum, ad theatrales artes degeneravisse, ducentis jam annis a L. Mummi triumpho, qui primus id genus spectaculi (42) in Urbe præbuerit. Sed & consultum parcimonie, quod perpetua sedes theatro locata sit potius, quam immenso sumptu, singulos per annos, consurgeret ac strueretur. Nec perinde magistratus rem familiarem exhausturos, aut populo efflagitandi Græca certamina a magistratibus causam fore, cum eo sumptu respublica fungatur. Oratorum ac vatum victorias incitamentum ingeniis allaturas: nec cuiquam iudici grave, aures studiis honestis, & voluptatibus concessis impartire: letitiæ magis, quam lascivie dari paucas totius quinquennii noctes, quibus, tanta luce ignium, nihil illicitum occultari queat. Sane nullo insigni dehonestamento id spectaculum transiit. Ac ne modica quidem studia plebis exarsere, quia redditi quamquam scenæ pantomimi, certaminibus sacris (43) prohibebantur. Eloquentiæ primas nemo tulit, sed vi-
 flosorem esse Cesarem pronuntiatum. Græci amicus, quos per eos dies plerique incesserant (44), tum exoleverant.*

Rubellius Plautus amovetur.

XXH. Inter quæ & sidus cometes effulsit ; de quo vulgi opinio est, tamquam mutationem regni portendat. Igitur, quasi jam depulso Nerone, quisnam deligeretur, anquirebant: & omnium ore Rubellius Plautus (45) celebrabatur, cui nobilitas per matrem ex Julia familia. Ipse placita majorum colebat, habitu severo, casta & secreta domo; quantoque metu occultior, tanto plus famæ adeptus. Auxit rumore pari vanitate orta interpretatio fulguris. Nam quia discumbentis Neronis apud Simbrina stagna, cui *Sublaqueum* nomen est (46), illæ dapes, mensaque disjecta erat, idque finibus Tiburtum acciderat, unde paterna Plauto origo, hunc illum numine deum destinari credebant: fovebantque multi, quibus, nova & ancipitia præcolere, avida & plerumque fallax ambitio est. Ergo per motus iis Nero, componit ad Plautum literas, *consuleret quieti Urbis, seque prave diffamantibus subtraheret: esse illi per Asiam avitos agros, in quibus tuta & inturbida juventa frueretur.* Ita illic cum conjugè Antistia, & paucis familiarium, concessit. Iisdem diebus nimia luxus cupido infamiam & periculum Neroni tulit, quia fontem aquæ Marcæ, ad Urbem deductæ, nando incesserat: vi-

debaturque potus sacros, & cærimoniam loci, corpore loto polluisse (47): secutaque anceps valetudo iram deum affirmavit.

Corbulo in Armenia strenue rem gerit: captis Tigranocertis, regem imponit Tigranen.

XXIII. At Corbulo, post deleta Artaxata, utendum recenti terrore ratus, ad occupanda Tigranocerta; quibus excisis, metum hostium intenderet, vel si pepercisset, clementiæ famam adipisceretur: illuc pergit non infenso exercitu, ne spem veniæ auferret: neque tamen remissa cura, gnarus facilem mutatu gentem, ut segnem ad pericula, ita infidam ad occasiones. Barbari pro ingenio quisque, alii preces offerre, quidam deserere vicus, & in avia digredi: ac fuere, qui se speluncis, ac carissimâ secum, abderent. Igitur dux Romanus diversis artibus, misericordia adversus supplices, celeritate adversus profugos, inanitis iis, qui latebras insederant, ora & exitus specuum, sarmentis virgultisque completos, igni exurit. Atque illum, fines suos prægredientem, incuravere Mardi, latrocinii exerciti, contraque inrumpentem montibus defensi: quos Corbulo, immissis Iberis, vastavit, hostilemque audaciam externo sanguine ultus est.

XXIV. Ipse exercitusque, ut nullis ex proelio

damnis, ita per inopiam & labores fatiscebant, carne pecudum (48) propulsare famem adacti. Ad hanc penuria aquæ, fervida æstas, longinqua itinera, sola ducis patientia mitigabantur, eodem plura, quam gregario milite, tolerante. Ventum dehinc in locos cultos: demessæque segetes, & ex duobus castellis, in quæ confugerant Armenii, alterum impetu captum; qui primam vim depulerant, obsidione coguntur. Unde in regionem Taurannitium transgressus, improvisum periculum vitavit. Nam haud procul tentorio ejus, non ignobilis *barbarus* (49) cum telo repertus, ordinem insidiarum, seque auctorem, & socios per tormenta edidit: convictique & puniti sunt, qui specie amicitiae dolum parabant. Nec multo post legati Tigranocerta missi, *patere mænia* afferunt, *intentos populares ad jus.s.a*; simul hospitale donum, coronam auream, tradebant. Accepitque cum honore, nec quidquam urbi detractum, quo promptius obsequium integri retinerent.

XXV. At præsidium regium (50), quod ferox juventus clauserat, non sine certamine expugnatum est: nam & prælium pro muris ausi erant, & pulsati intra munimenta aggeris, demum & inrumpentium armis cessere: quæ facilius proveniebant, quia Parthi Hyrcano bello distinebantur. Miserantque Hyrcani ad Principem Romanum, societatem oratum, *attineri a se Vologesen pro pignore amicitiae* osten-

tantes. Eos regredientes Corbulo, ne Euphratem transgressi, hostium custodiis circumvenirentur, dato præsidio, ad litora maris Rubri (51) deduxit: unde, vitatis Parthorum finibus, patrias in sedes remeavere.

XXVI. Quin & Tiridaten, per Medos extrema Armeniæ intrantem, præmisso cum auxiliis Verulano legato, atque ipse legionibus citis, abire procul, ac spem belli amittere subegit: quosque nobis, ob regem, aversos animis cognoverat, cædibus & incendiis perpopulatus, possessionem Armeniæ usurpabat: cum advenit Tigranes, a Nerone ad capessendum imperium delectus, Cappadocum ex nobilitate, regis Archelai nepos; sed quod diu obses apud Urbem fuerat, usque ad servilem patientiam demissus. Nec consensu acceptus, durante apud quosdam favore Arsacidarum: at plerique superbiam Parthorum perosi, datum a Romanis regem malebant. Additum & præsidium, mille legionarii, tres sociarum cohortes, duæque equitum alæ: & quo facilius novum regnum tueretur, pars Armeniæ, ut cuique finitima, Pharasmani Polemonique, Aristobulo atque Antiocho parere jussæ sunt (52). Corbulo in Syriam abscessit, morte Ummidii legati vacuum, ac sibi permissam.

Laodicea, tremore terræ prolapsa, propriis opibus revaluit. Coloniarum infrequentia male consultum.

XXVII. Eodem anno, ex illustribus Asiæ urbibus, Laodicea tremore terræ prolapsa, nullo a nobis remedio, propriis opibus revaluit. At in Italia vetus oppidum, Puteoli, jus coloniarum, & cognomentum a Nerone adipiscuntur. Veterani Tarentum & Antium adscripti, non tamen infrequentiarum locorum subvenere, dilapsis pluribus in provincias, in quibus stipendia expleverant. Neque conjugii suscipiendis, neque alendis liberis sueti, orbæ sine posteris domos relinquebant. Non enim, ut olim, universæ legiones deducebantur, cum tribunis & centurionibus, & sui cujusque ordinis militibus, ut consensu & caritate rempublicam efficerent; sed ignoti inter se, diversis manipulis, sine rectore, sine affectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti; numerus magis, quam colonia.

Comitia prætorum composita.

XXVIII. Comitia prætorum, arbitrio senatus haberi solita, quod acriore ambitu exarserant, Prin-

ceps composuit, tres, qui supra numerum petebant, legioni præficiendo. Auxitque patrum honorem, statuendo, ut, qui a privatis iudicibus ad senatum provocavissent, ejusdem pecuniæ periculum facerent, cujus ii, qui Imperatorem appellavere: nam antea vacuum id, solutumque pœna fuerat. Fine anni Vibius Secundus, eques Romanus, accusantibus Mauris, repetundarum damnatur, atque Italia exigitur, ne graviore pœna adficeretur (53), Vibii Crispi fratris opibus enisus.

AN. U. C. DCCCXIV. ÆR. CHR. 61.

Gravis clades in Britannia accepta, dum Suetonius Paullinus Monam insulam adgreditur: tota pene provincia amissa: quam tamen mira constantia & vihus prælli successu Suetonius retinuit.

XXIX. Cæsonio Pæto, Petronio Turpiliano consulis, gravis clades in Britannia accepta. In qua neque A. Didius legatus, ut memoravi, nisi partem retinuerat; & successor Veranius, modicis excursibus Siluras populatus, quin ultra bellum proferret, morte prohibitus est: magna, dum vixit, severitatis fama, supremis testamenti verbis ambitionis manifestus. Quippe, multa in Neronem adulatione,

addidit, *subjecturum ei provinciam fuisse, si biennio proximo vixisset*. Sed tum Paullinus Suetonius obtinebat Britannos, scientia militiæ, & rumore populi, qui neminem sine æmulo sinit, Corbulonis concertator: receptæque Armeniæ decus æquare, domitis perduellibus (54), cupiens. Igitur Monam insulam (55), incolis validam, & receptaculum perfugarum, aggredi parat, navesque fabricatur plano alveo, adversus breve litus & incertum. Sic pedes: equites (56), vado secuti, aut altiores inter undas, adnantes equis, transmisere.

XXX. Stabat pro litore diversa acies, densa armis virisque, intercursantibus feminis in modum Furiarum, quæ (57) veste ferali, crinibus dejectis, faces præferabant. Druidæque circum, preces ditas, sublatis ad cælum manibus, fundentes, novitate aspectus perculere milites; ut, quasi hærentibus membris, immobile corpus vulneribus præberent. Dein, cohortationibus ducis, & se ipsi stimulantes, ne muliebri & fanaticum agmen pavescerent; inferunt signa, sternuntque obvios; & igni suo involvunt. Præsidium posthac impositum victis, excisique luci, sævis superstitionibus sacri: nam cruore captivo adolere aras, & hominum fibris consulere deos fas habebant. Hæc agenti Suetonio, repentina defectio provinciæ nuntiatur.

XXXI. Rex Icenorum Prasutagus, longa opu-

lencia clarus, Cæsarem heredem duasque filias scripserat, tali obsequio ratus regnumque & domum suam procul injuria fore: quod contra vertit; adeo, ut regnum per centuriones, domus per servos, velut capta, vastarentur. Jam primum uxor ejus, Boudicea (58), verberibus affecta, & filiae stupro violatae sunt. Præcipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri accepissent, avitis bonis exuuntur: & propinqui regis inter mancipia habebantur. Qua contumelia, & metu graviorum (quando in formam provinciæ cesserant) rapiunt arma, commotis ad rebellionem (59) Trinobantibus, & qui alii nondum servitio facti, resumere libertatem occultis conjurationibus pepigerant, acerrimo in veteranos odio. Quippe in coloniam Camulodunum recens deducti, pellebant domibus, exturbabant agris, captivos, servos appellando: foventibus impotentiam veteranorum militibus, similitudine vitæ, & spe ejusdem licentiæ. Ad hæc templum, divo Claudio constitutum, quasi arx æternæ dominationis aspiciebatur; delectique sacerdotes, specie religionis, omnes fortunas effundebant. Nec arduum videbatur, excindere coloniam, nullis munimentis septam: quod ducebus nostris parum provisum erat, dum amoenitati prius, quam usui consulitur.

XXXII. Inter quæ, nulla palam causa, delapsum Camuloduni simulacrum Victoriæ, ac retro

& apertam planitiem esse, sine metu insidiarum
 Igitur legionarius frequens ordinibus, levis circum
 armatura, conglobatus pro cornibus eques adstitit.
 At Britannorum copiae passim per catervas & tur-
 mas exultabant, quanta non alias multitudo; &
 animo adeo fero, ut conjuges quoque testes victo-
 riae secum traherent, plaustisque imponerent, quae
 super extremum ambitum campi posuerant.

XXXV. Boudicea, curru filias praese vehens,
 ut quamque nationem accesserat, *solitum quidem*
Britannis feminarum ductu bellare testabatur; sed
tunc non, ut tantis majoribus ortam, regnum &
opes; verum, ut unam e vulgo, libertatem ami-
sam, confectum verberibus corpus, contrectatam fa-
liarum pudicitiam ulcisci. Eo protractas Romani-
rum cupidines, ut non corpora, ne senectam quod-
dem, aut virginitatem impollutam relinquant. Ad-
esse tamen deos justae vindictae: eecidisse legionem,
quae praelium ausa sit: ceteros castris occultari,
aut fugam circumspicere. Ne strepitum quidem &
clamorem tot millium (69), nedum impetus & ma-
nus perlaturus. Si copias armatorum, si causas
belli secum expenderent, vincendum illa acie, vel
cadendum esse. Id mulieri destinatum; viverent vi-
ri, & servirent.

XXXVI. Ne Suetonius quidem in tanto discrimine silebat: qui, quamquam confideret virtuti,

tamen

tamen exhortationes & preces miscebat: *Ut spernerent sonores barbarorum, & inanes minas: plus illic feminarum, quam juventutis aspici: imbelles, inermes, cessuros statim; ubi ferrum, virtutemque vincantium, totiens fusi, agnovissent: etiam in multis legionibus paucos esse, qui prælia profligarent: gloriæque eorum accessurum, quod modica manus (66) universi exercitus famam adipiscerentur. Conferti tantum, & pilis emissis, post umbonibus & gladiis stragem cædemque continuarent, prædæ immemores: parta victoria, cuncta ipsis cessura.* Is ardor verba ducis sequebatur, ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles & multa præliorum experientia, ut certus eventus Suetonius, daret pugnae signum.

XXXVII. Ac primum legio gradu immota, & angustias loci pro munimento retinens, postquam propius suggestus hostis certo jactu tela exhauserat (67), velut cuneo erupit. Idem auxiliarium impetus; & eques, protentis hastis, perfringit quod obvium & validum erat. Ceteri terga præbuere, difficili effugio, quia circumjecta vehicula sepserant abitus. Et miles ne mulierum quidem neci temperabat: confixaque telis etiam jumenta, corporum cumulum auxerant. Clara, & antiquis victoriis par, ea die laus parta: quippe sunt, qui paullo minus, quam octoginta millia Britannorum cecidisse tra-

dant, militum quadringentis ferme interfectis, multo amplius vulneratis. Boudicea vitam veni- finivit. Et Pœnius Postumus, præfectus castrorum secundæ legionis, cognitis quartadecimanorum v- cesimanorumque prosperis rebus, quia pari glori- legionem suam fraudaverat, abnueratque, contri- ritum militiæ, jussa ducis, se ipsum gladio tran- segit.

XXXVIII. Contractus deinde omnis exercitus, sub pellibus habitus est, ad reliqua belli perpetranda. Auxitque copias Cæsar, missis e Germania duobus legionariorum millibus, octo auxiliarium cohortibus, ac mille equitibus: quorum adventu, nonani legionario milite suppleti sunt. Cohorte alæque novis hibernaculis locatæ, quodque natio- num ambiguum, aut adversum fuerat, igni atque ferro vastatur. Sed nihil æque, quam fames, ad- stringebat serendis frugibus incuriosos, & omni ætate ad bellum versa, dum nostros commeatus sibi destinant; gentesque præferoces tardius ad pa- cem inclinant; quia Julius Classicianus, successor Cato missus, & Suetonio discors, bonum publicum privatis simulatibus impediabat: disperseratque, *novum legatum opperiendum esse, sine hostili ira & superbia victoris, clementer deditis consulturum.* Simul in Urbem mandabat, *nullum prælio finem (68) exspectarent, nisi succederetur Suetonio: cujus ad-*

versa pravitati ipsius ; prospera ad fortunam referebat.

XXXIX. Igitur ad spectandum Britanniae statum missus est ex libertis Polycletus, magna Neronis spe, posse auctoritate ejus, non modo inter legatum procuratoremque concordiam gigni, sed & rebelles barbarorum animos pace componi. Nec defuit Polycletus, quominus, ingenti agmine Italiae Galliaeque gravis, postquam Oceanum transmiserat, militibus quoque nostris terribilis incederet. Sed hostibus inanis fuit, apud quos, flagrante etiam tum libertate, nondum cognita libertorum potentia erat: mirabanturque, quod dux & exercitus, tanti belli confector, servitiis obedirent. Caecata tamen ad Imperatorem in mollius relata: detentusque rebus gerendis Suetonius, quod post paucas naves (69) in litore, remigiumque in iis amiserat, tamquam durante bello, *tradere exercitum Petronio Turpiliano*, qui jam consulatu abierat, jubetur. Is non inritato hoste, neque laccessitus, honestum pacis nomen segni otio imposuit.

*Insignia scelera. Praefectum Urbis servus
ipsius interficit: supplicium de
familia sumptum.*

XL. Eodem anno Romae insignia scelera, alterum senatoris, servili alterum audacia (70) admis-

sa sunt. Domitius Balbus erat prætorius, *simul* longa senecta, simul orbitate & pecunia *insidi* obnoxius: ei propinquus, Valerius Fabianus, capesendis honoribus destinatus, subdidit testamentum, adscitis Vincio Rufino & Terentio Lentino, equitibus Romanis. Illi Antonium Primum (71), & Asinium Marcellum sociaverant. Antonius, audacia promptus; Marcellus, Asinio Pollione proavo clarus, neque morum spernendus habebatur, nisi quod paupertatem præcipuum malorum credebat. Igitur Fabianus tabulas iis, quos memoravi, & *aliis minus* illustribus, obsignat. Quod apud patres convictum. Et Fabianus Antoniusque, cum Rufino & Terentio, lege Cornelia (72) damnantur. Marcellum memoria majorum, & preces Cæsaris, poenæ magis, quam infamiæ exemere.

XLI. Perculit is dies Pompejum quoque Ælianum, juvenem quæstorium, tamquam flagitiorum Fabiani gnarum: eique Italia, & Hispania, in qua ortus erat, interdictum est. Pari ignominia Valerius Ponticus adficitur, quod reos, ne apud præfectum Urbis arguerentur, ad prætorem (73) detulisset; interim, specie legum, mox prævaricando, ultionem elusurus, Additur senatusconsulto (74): *Qui talem operam emptitasset, vendidissetve, perinde poena teneretur, ac publico iudicio calumnie condemnatus.*

XLII. Haud multo post, præfectum Urbis, Pedanium Secundum, servus ipsius interfecit: seu negata libertate, cui pretium pepigerat (75); sive amore exoleti infensus, & dominum æmulum non tolerans. Ceterum cum, vetere ex more, familiam omnem, quæ sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis, quæ tot innoxios protegebat, usque ad seditionem ventum est: senatque in ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium; pluribus nihil mutandum censentibus. Ex quis C. Cassius, sententiæ loco, in hunc modum disseruit.

XLIII. *Sæpenumero, patres conscripti, in hoc ordine interfui, cum contra instituta & leges majorum nova senatus decreta postularentur; neque sum adversatus: non, quia dubitarem saper omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum, & quæ converterentur, in deterius mutari; sed ne, nimio amore antiqui moris, studium meum extollere viderer. Simul, quiddam hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, ut maneret integrum, si quando respublica consiliis egisset: quod hodie evenit, consulari viro domi suæ interfecto, per insidias serviles, quas nemo prohibuit, aut prodidit, quamvis nondam concusso senatusconsulto, quod supplicium toti familiæ minitabatur. Decernite hercule impuni-*

tatem. At quem dignitas sua defendet, cum praefectura Urbis non profuerit? Quem numerus servorum iuebitur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? Cui familia opem feret, quae in metu quidem pericula vostra avertit? (76) An, ut quidam fingere non erubescunt, injurias suas ultus est interfector? quia de paterna pecunia transigerat (77), aut avitum mancipium detrabebatur? Pronuntiemus ultro, dominum jure casum videri.

XLIV, Libet argumenta conquirere in eo, quod sapientioribus deliberatum est? Sed et si nunc primum statuendum haberemus, creditisne, servum interficiendi domini animum insumpsisse, ut non vox minax excideret? nihil per temeritatem proloqueretur? Sane consilium oculuit, telum inter ignaros paravit: num excubias (78) transiret, cubicali fores recluderet, lumen inferret, cadem patraret, omnibus nesciis? Multa sceleris indicia praeveniunt (79). Servi si prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios; postremo, si pereundum sit, non inulti inter nocentes, agere. Suspecta majoribus nostris fuisse ingenia servorum, etiam cum in agris, aut domibus iisdem, nascerentur, caritatemque dominorum statim acciperent. Postquam vero nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra, aut nulla sunt; colluviem istam non nisi metu coercueris. At quidam insontes peribunt.

Nam & ex fuso exercitu, cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui sortiuntur. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulas utilitate publica rependitur.

XLV. Sententiæ Cassii, ut nemo unus contra ire ausus est, ita dissonæ voces respondebant, numerum, aut ætatem, aut sexum, ac plurimorum indubiam innocentiam miserantium. Prævaluit tamen pars, quæ supplicium decernebat: sed obtemperari non poterat, conglobata multitudine sana ac faces minitante. Tum Cæsar populum edicto increpuit; atque omne iter, quo damnati ad pœnam ducebantur, militaribus præsiidiis sepsit: Censuerat Cingonius Varro, ut liberti quoque, qui sub eodem tecto fuissent, Italia deportarentur. Id a Principe prohibitum est, ne mos antiquus, quem misericordia non minuerat, per scvritiam intenderetur.

Tarquitius Priscus damnatur. Census per Gallias acti.

XLVI. Damnatus iisdem consulibus Tarquitius Priscus repetundarum, Bithynis interrogantibus, magno patrum gaudio, qui accusatum ab eo Statilium Taurum (80), proconsulem ipsius, meminerant. Census per Gallias a Q. Volusio, & Sextio Africano, Trebellioque Maximo acti sunt; annulis in-

ter se per nobilitatem Volusio atque Africano: Tribellium dum uterque dedignatur, supra tulere.

Mors Memmii Reguli. Gymnasium dedicatum.

XLVII. Eo anno mortem obiit Memmius Regulus, auctoritate, constantia, fama, in quantum, præumbrante Imperatoris fastigio, datur, clarus: adeo ut Nero, æger valetudine, & adulantibus circum, qui *finem imperio adesse dicebant, si quid fato patretur*, responderit, *habere subsidium rempublicam*. Rogantibus dehinc, in quo potissimum? addiderat, *in Memmio Regulo*. Vixit tamen post hæc Regulus, quiete defensus, & quia nova generis claritudine, neque invidiosis opibus erat. Gymnasium (81) eo anno dedicatum a Nerone, præbitumque oleum equiti ac senatui, Græca facilitate

AN. U. O. DCCCXV. ÆR. CHR. 62.

Lex Majestatis revocata.

XLVIII. P. Mario, L. Asinio consulibus, Antistius prætor, quem in tribunatu plebis licenter egisse memoravi (82), probrosa adversus Principem carmina facitavit, vulgavitque celebri convivio, dum apud Ostorium Scapulam epulatur. Exin a Cossu-

ziano Capitone (83), qui nuper senatorium ordinem precibus Tigellini, soceri sui, receperat, majestatis delatus est. Tum primum revocata ea lex; credebaturque haud perinde exitium Antistio, quam Imperatori gloriam quæri, ut condemnatus (84) a senatu, intercessione tribunicia (85) morti eximeretur. Et cum Ostorius *nihil audivisse* pro testimonio dixisset, adversis testibus creditum. Censuitque Junius Marullus, consul designatus, *adimendam reo præturam, necandumque more majorum*. Ceteris inde adsentientibus, Pætus Thræsea, multo cum honore Cæsaris, acerrime increpito Antistio, *non, quidquid nocens reus pati mereretur, id, egregio sub Principe, & nulla necessitate obstricto senatu, statuendum* disseruit; *carnificem & laqueam pridem abolita: & esse pœnas legibus constitutas, quibus sine judicam sævitia, & temporum infamia, supplicia decernerentur. Quin in insula, publicatis bonis, quo longius sontem vitam traxisset, eo privatim misertorem, & publicæ (86) clementiæ maximum exemplum futurum.*

XLIX. Libertas Thræseæ servitium aliorum rupit: & postquam discessionem consul permiserat, pedibus in sententiam ejus iere, paucis exemptis: in quibus adulatione promptissimus fuit A. Vitellius; optimum quemque jurgio lacessens, & respondenti reticens, ut pavida ingenia solent. At

consules, perficere senatus decretum non ausi, de consensu scripsere Cæsari. Ille inter pudorem & iram cunctatus, postremo rescripsit, *nulla injuria provocatum Antistiam gravissimas in Principes contumelias dixisse: eorum ultionem a patribus postulatam. Et pro magnitudine delicti, poenam natui par fuisse: ceterum se, qui severitatem decreventium impediturus fuerit, moderationem non prohibere: statuerent, ut vellent: datam etiam absolventi licentiam.* His atque talibus recitatis, & offensione manifesta, non ideo aut consules mutaverunt relationem, aut Thrasea decessit sententia, ceterive, quæ probaverant, deseruere: pars, ne Principem objecisse invidiæ viderentur; plures numero tuti; Thrasea sueta firmitudine animi, & ne gloria intercideret.

L. Haud dispari crimine Fabricius Veiento⁽³⁷⁾ conflictatus est, quod multa & probrosa in patres & sacerdotes composuisset, iis libris, quibus nomen codicillorum dederat. Adiciebat Talium Geminus, accusator, venditata ab eo munera Principis, & adipiscendarum bonorum jus. Quæ causa Neroni fuit suscipiendi iudicii; convictamque Veientonem Italia depulit, & libros exuri jussit, conquisitos lectissimosque, donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi oblivionem attulit.

*Gravescentibus publicis malis, vita concessit
Burrus.*

LI. Sed gravescentibus in dies publicis malis, subsidia minuebantur: concessitque vita Burrus, incertum valetudine, an veneno. Valetudo ex eo conjectabatur, quod in se tumescentibus paulatim faucibus (88) & impedito meatu, spiritum finiebat. Plures jussu Neronis, quasi remedium adhiberetur, inlitum palatum ejus noxio medicamine, adseverabant: & Burrum, intellecto scelere, cum ad visendum cum Princeps venisset, aspectum ejus aversatum, sciscitanti, *hactenus*, respondisse (89), *ego me bene habeo*. Civitati grande desiderium ejus mansit, per memoriam virtutis, & successorum alterius segnem innocentiam, alterius flagrantissima flagitia & adulteria. Quippe Cæsar duos prætorius cohortibus imposuerat: Fenium Rufum, ex vulgi favore; quia rem frumentariam sine quæstu tractabat: Sophonium Tigellinum, veterem impudicitiam atque infamiam in eo secutus. Atque illi pro cognitis moribus fuere (90): validior Tigellinus in animo Principis, & intimis libidinibus adsumptus: prospera populi & militum fama Rufus, quod apud Neronem adversum experiebatur.

Morte Burræ infracta Senecæ potentia : ut criminantium invidiæ occurrat , Neronem adloquitur : subdole respondet Princeps .

LII. Mors Burræ infregit Senecæ potentiam, quia nec bonis artibus idem virium erat, altero velut duce amoto, & Nero ad deteriores inclinabat. Hi variis criminationibus Senecam adoriuntur, tamquam ingentes & privatum supra modum evectas opes adhuc augetet; quodque studia civium in se verteret; hortorum quoque amœnitate & villarum magnificentia quasi Principem supergrederetur (91). Objiciebant etiam eloquentiæ laudem uni sibi adsciscere, & carmina crebrius facitare, postquam Neroni amor eorum venisset. Nam oblectamentis Principis palam iniquum, detrectare vim ejus equos regentis; includere votes, quotiens caneret. Quem ad finem nihil in republica clarum fore, quod non ab illo reperiri credatur. Certe finitam Neronis pueritiam, & robur juventutis adesse: exeret magistrum, satis amplis doctoribus instructus, majoribus suis.

LIII. At Seneca criminantium non ignarus, proidentibus iis, quibus aliqua honesti cura, & familiaritatem ejus magis aspernante Cæsare, tempus sermoni orat: & accepto, ita incipit: *Quartusdecimus*

annus est, *Cæsar*, ex quo spei tuæ admotus sum: *Octavius*, ut imperium obtines. Medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meæ desit, nisi moderatio ejus. Utar magnis exemplis, nec meæ fortunæ, sed tuæ. *Abavus tuus, Augustus* (92), *M. Agrippæ Mitylense secretum*; *C. Mæcenati Urbe in ipsa velut peregrinum otium permisit*: quorum alter bellorum socius, alter Romæ pluribus laboribus jactatus, ampla quidem, sed pro ingentibus meritis, præmia acceperant. Ego quid aliud munificentiae tuæ adhibere potui (93), quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata: & quibus claritudo venit, quod juvenæ tuæ rudimentis adfuisse videor? grande hujus rei pretium. At tu gratiam immensam, innumeram pecuniam circumdedisti, adeo ut plerumque intra me ipse volvam: Egone, equestri & provinciali loco ortus, proceribus civitatis adnumeror? Inter nobiles, & longa decora præferentes, novitas mea enituit? Ubi est animus ille modicis contentus? Tales hortos instruit, & per hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis, tam lato fenore exuberat? Una defensio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui.

LIV. Sed uterque mensuram implevimus, & tu, quantum Princeps tribuere amico posset, & ego, quantum amicus a Principe accipere. Cetera

invidiam augent: quæ quidem, ut omnia mortalia infra tuam magnitudinem jacent; sed mihi incumbunt (94): mihi subveniendum est. Quo modo in militia, aut via, fessus adminiculum (95) orarem; ita in hoc itinere vitæ, senex, & levissimis quoque curis impar, cum opes meas ultra sustinere non possim, præsidium peto. Jube eas per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam; sed traditis, quorum fulgore perstringor, quod temporis hortorum aut villarum curæ seponitur, in animum revocabo. Superest tibi robar, & tot per annosnixæ fastigii regimen (96): possumus seniores amici, quiete respondere (97). Hoc quoque in tuam gloriam cedit, eos ad summa vexisse, qui & modica tolerarent.

LV. Ad quæ Nero sic ferme respondit: Quod meditatae orationi tuæ statim occurram, id primum tui muneris habeo, qui me non tantum prævisum, sed subita expedire docuisti. Abavus meus, Augustus, Agrippæ & Mæcenati usurpare otium post labores concessit; sed in ea ipsa ætate (98), cujus auctoritas tueretur, quidquid illud & qualecumque tribuisset: attamen neutrum datis a se præmiis exiit. Bello & periculis meruerant. In his enim juvenia Augusti versata est. Nec mihi vela & manus tuæ defuissent, in armis agenti.

Sed quod præsens conditio poscebat, ratione, consilio, præceptis pueritiam, dein juventam meam, fovisti. Et tua quidem erga me munera, dum vita suppetet, æterna erunt. Quæ a me habes, horti, & fenus, & villa, casibus obnoxia sunt: ac licet multa videantur, plerique, haud quamquam artibus tuis pares, plura tenuerunt. Pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur. Unde etiam rubori mihi est, quod præcipuus caritate, nondum omnes fortuna antecellis.

LVI. *Verum & tibi valida ætas, rebusque & fructui rerum sufficiens; & nos prima imperii spatia ingredimur; nisi forte aut te Vitellio ter consuli, aut me Claudio postponis (99). Sed quantum Volusio longa parcimonia quæsivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. Quin, si qui in parte lubricum adolescentiæ nostræ declinat, revocas, ornatumque robur (100) subsidio impensius regis. Non tua moderatio, si reddideris pecuniam; nec quies, si reliqueris Principem; sed mea avaritia, meæ crudelitatis metus in ore omnium versabitur. Quod si maxime continentia tua laudetur, non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam paret, inde gloriam sibi recipere. His adjicit complexum & oscula, factus natura, & consuetudine exercitus, velare odium fallacibus blanditiis. Seneca (qui finis omnium cum dominante ser-*

monum) grates agit: sed instituta prioris potentia commutat: prohibet cœtus salutantium: vitat comitantes: rarus per Urbem; quasi valetudine infensa, aut sapientiæ studiis domi attineretur.

Validior in dies Tigellinus, Plautum & Sullam interfici curat.

LVII. Perculso Seneca, promptum fuit Rufum Fenium imminuere, Agrippinæ amicitiam in eo criminantibus. Validiorque in dies Tigellinus; & malas artes, quibus solis pollebat, gratiores ratus, si Principem societate scelerum obstringeret, metus ejus rimatur: compertoque, Plautum & Sullam maxime timeri, Plautum in Asiam, Sullam in Galliam Narbonensem nuper amotos: nobilitatem eorum, & propinquos hæc Orientis, illi Germanicæ exercitus commemorat. Non se, ut Burrum, diversas spes, sed solam incolumitatem Neronis spectare: cui caveri utcumque ab urbanis insidiis præsentia (101); longinquos motus quonam modo comprimi posse? Erectas Gallias ad nomen dictatorium, nec minus suspectos Asiæ populos, claritudine avi Drusi (102). Sullam inopem, unde præcipuam audaciam; & simulatorem segnitiae (103), dum temeritati locum reperiret. Plautum magnis opibus, ne fingere quidem cupidinem otii, sed veterum Ro-

manorum imitamenta præferre, adsumpta etiam Stoicorum arrogantia, sectaque, quæ turbidos & negotiorum appetentes faciat. Nec ultra mora. Sulla, sexto die pervectis Massiliam percussoribus, ante metum & rumorem interficitur, cum epulandi causa discumberet. Relatum caput ejus inludit Nero, tamquam præmatura canitie deforme.

LVIII. Plauto parari necem, non perinde occultum fuit, quia pluribus salus ejus curabatur, & spatium itineris ac maris tempusque interjectum moverat famam. Vulgoque fingeant, *petitum ab eo Corbulonem, magnis tum exercitibus præidentem, si clari atque insontes interficerentur, præcipuum ad pericula. Quin & Asiam favore juvenis arma cepisse, nec milites, ad scelus missos, aut numero validos, aut animo promptos: postquam jussa efficere nequiverint, ad spes novas transisse. Vana hæc, more famæ, credentium otio augebantur. Ceterum libertus Plauti, celeritate ventorum, prævenit centurionem, & mandata L. Antistii, soceri, attulit: effugeret segnem mortem, otium, suffugium (104), & magni nominis miserationem: reperturum bonos, consociaturum audaces: nullum interim subsidium aspernandum. Si sexaginta milites (tot enim adveniebant) propulisset; dum referatur nuntius Neroni, dum manus alia permeat, multa secutura, quæ ad usque bellum evalescerent:*

denique aut salutem tali consilio quæri, aut nihil gravius audenti, quam ignavo, patiendum esse.

LIX. Sed Plautum ea non movere: sive nullam opem providebat inermis atque exsul; seu tædio ambiguae spei; an amore conjugis & liberorum, quibus placabiliorem fore Principem rebatur, nulla sollicitudine turbatum. Sunt, qui *alios a socero nuntios venisse ferant, tamquam nihil atrox immineret; doctoresque sapientiæ, Cæranum (105), Græci, Musonium Tusci generis, constantiam opperiente mortis, pro incerta & trepida vita, suasisse.* Repertus est certe, per medium diei, nudus, exercitando corpori. Talem eum centurio trucidavit, coram Pelagone, spadone, quem Nero centurioni & manipulo, quasi satellitibus ministrum regium, præposuerat. Caput interfecti relatum: *cujus aspectu (ipsa Principis verba referam) Quin, inquit, Nero, deposito metu, nuptias Poppæe, ob ejusmodi terrores dilatas, maturare parat, Oßavianamque conjugem amoliri; quamvis modeste agat, & nomine patris, & studiis populi gravem (106)?* Sed ad senatum literas misit, de cæde Sullæ Plautique haud confessus; *verum utriusque turbidum ingenium esse, & sibi incolumitatem reipublicæ magna cura haberi.* Decretæ eo nomine *supplicationes, atque Sulla & Plautus senatu moverentur, gravioribus tamen ludibriis, quam malis (107).*

Nero Octaviam exturbat: Poppæe conjungitur.

Seditionem super ea re populus movet:

inde maturatur Octaviæ exitium. In

Pandataria insula interficitur.

LX. Igitur accepto patrum consulto, postquam cuncta scelerum suorum pro egregiis accipi videt, exturbat Octaviam, *sterilem* dictitans. Exin Poppæe conjungitur. Ea diu pellex, & adulteri Neronis, mox mariti potens, quemdam ex ministris Octaviæ impulit, *servilem ei amorem* objicere: destinatorque reus cognomento *Eucerus*, natione Alexandrinus, canere tibiis doctus. Atque ob id de ancillis quæstiones, & vi tormentorum victis quibusdam, ut falsa adnuerent, plures perstitere sanctitatem dominæ tueri. Ex quibus una instanti Tigellino, *castiora esse muliebria Octaviæ* respondit, *quam os ejus*. Movetur tamen primo, civilis discidii specie: domumque Burri, & prædia Plauti, infausta dona, accipit. Mox in Campaniam pulsa est, addita militari custodia. Inde crebri questus, nec occulti per vulgum, cui minor sapientia, & ex mediocritate fortunæ, pauciora pericula sunt. His motus Nero, haud quaquam pænitentia flagitii (108), conjugem revocavit Octaviam.

LXI. Exin læti Capitolium scandunt, deosque

tandem venerantur. Effigies Poppææ prouunt: Octaviæ imagines gestant humeris, spargunt floribus, foroque ac templis statuunt. Itur etiam in Principis laudes, expetitur venerantibus (109). Jamque & palatium multitudine & clamoribus complebant, cum emissi militum globi verberibus & intento ferro turbatos disjecere. Mutataque, quæ per seditionem verterant, & Poppææ honos repositus est. Quæ semper odio, tum & metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret, aut Nero inclinatione populi mutaretur, provoluta genibus ejus: *Non eo loci res suas agi, ut de matrimonio certet (quamquam id sibi vita potius), sed vitam ipsam in extremum adductam a clientelis & seruitiis Octaviæ, quæ plebis sibi nomen indiderint, ea in pace ausi, quæ vix bello evenirent. Arma illa adversus Principem sumpta: ducem tantum defuisse, qui, motis rebus, facile reperiretur. Omitteret modo Campaniam, & in Urbem ipsam pergeret, ad cujus nutum absentis tumultus cicerentur. Quod alioquin suum delictum? quam cujusquam offensionem? An, quia veram progeniem penatibus Cæsarum datura sit, malle populum Romanum tibicinis Ægyptii subolem Imperatorio fastigio induci? Denique, si id rebus conducatur, libens, quam coactus, acciret dominam, vel consuleret securitati justa ultione. Et modicis remediis primos motus consedissee: at, si*

desperent uxorem Neronis fore Octaviam, illi maritum duros.

LXII. Varius sermo, & ad metum atque iram accommodatus, terruit simul audientem, & accendit. Sed parum valebat suspicio in servo, & quæstionibus ancillarum elusa erat (110). Ergo confessionem alicujus quæri placet, cui rerum quoque novarum crimen adfingeretur. Et visus idoneus maternæ necis patrator, Anicetus, classi apud Misenum, ut memoravi, præfectus, levi post admissum scelus gratia, dein graviore odio: quia malorum facinorum ministri quasi exprobrantes aspiciuntur. Igitur accitum eum Cæsar operæ prioris admonet. *Solum incolumitati Principis adversus insidiantem matrem subvenisse: locum haud minoris gratiæ instare, si conjugem infensam depelleret: nec manu aut telo opus. Fateretur Octaviæ adulterium. Occulta quidem ad præsens, sed magna ei præmia, & secessus amænos promittit: vel si negavisset, necem intentat.* Ille insita vecordia, & facilitate priorum flagitiorum, plura etiam, quam jussum erat, fingit, fateturque apud amicos, quos velut consilio adhibuerat Princeps. Tum in Sardiniam pellitur, ubi non inops exilium toleravit, & fato obiit.


LXIII. At Nero, præfectum in spem sociandæ classis corruptum, & incusatæ paullo ante sterilitatis oblitus, abactos partus conscientia libidinum,

eaque sibi comperta, edicto memorat: insulaque Pandataria Octaviam claudit. Non alia exsul visentium oculos majore misericordia adfecit. Meminerant adhuc quidam Agrippinæ, a Tiberio; recentior Julix memoria obversabatur, a Claudio pulsæ. Sed illis robur ætatis adfuerat. Læta aliqua viderant, & præsentem sævitiam melioris olim fortunæ recordatione allevabant. Huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit, deductæ in domum, in qua nihil nisi luctuosum haberet, erepto per venenum patre, & statim fratre: tum ancilla domina validior: & Poppæa non nisi in perniciem uxoris nupta: postremo crimen omni exitio gravius.

LXIV. Ac puella, vicesimo ætatis anno, inter centuriones & milites, præsagio malorum jam vita exempta (111), nondum tamen mortem acquiescebat. Paucis dehinc interjectis diebus, mori jubetur: cum jam *viduam se*, & tantum sororem testaretur, communesque *Germanicos* (112), & postremo *Agrippinæ* nomen ciceret, *qua incolumi, infelix quidem matrimonium, sed sine exitio pertulisset*. Restrigitur vinculis, venæque ejus per omnes artus exsolvantur; & quia pressus pavore sanguis tardius labebatur, præfervidi balnei vapore enecatur. Additurque atrocior sævitia, quod caput amputatum, latumque in Urbem, Poppæa vidit. Dona ob hæc templis decreta. Quod ad eum finem

memoravimus, ut, quicumque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus, noscent, præsumptum habeant, quotiens fugas & cædes jussit Princeps, totiens grates deis actas; quæque rerum secundarum olim, tum publicæ cladis insignia fuisse. Neque tamen silebimus, si quod senatusconsultum, adulatione novum, aut patientia postremum fuit.

LXV. Eodem anno libertorum potissimos veneno interfecisse creditus est; Doryphorum, quasi adversatum nuptiis Poppææ; Pallantem, quod immensam pecuniam longa senectâ detineret. Romanus secretis criminationibus incusaverat Senecam, ut C. Pisonis socium, sed validius a Seneca eodem crimine percussus est. Unde Pisoni timor, & orta insidiarum in Neronem magna moles, sed improspera.



B R E V I A R I U M

LIBRI DECIMI QUINTI.

I. *Armeniam invadit Vologeses, Parthorum rex, quem Corbulo caute, fortiter tamen, represit. VI. Casennius Pætus adventat, proprius Armeniæ tuendæ dux: imperitia & temeritate remperdit: Corbulo ei; sed sero, succurrit. XVIII. Romæ tropæa de Parthis decreta, integro adhuc bello. XIX. Senatusconsultum de fidei adoptionibus. XXIII. Neroni filia ex Poppæa nascitur. Ingens, sed fluxa, lætitia. Infans, quartum intra mensem defuncta, honorem divæ obtinet. XXIV. Parthorum legati Romam veniunt, super retinendâ Armenia: inriti remittuntur; & bellum Corbuloni permissum. Armeniam iterum invadit; metuque Parthis injecto, ad colloquium ventum est. Placuit arma poni, & Tiridaten diadema statuæ Neronis submittere, nec nisi sponte ejus resumere. XXXII. Nationes Alpium maritimarum in jus Latii translata. XXXIII. Nero Neapoli canit in publico: Romæ luxu & libidine omnia polluit. XXXV. Torquatus Silanus mori adigitur. XXXVIII. Urbs ardet, forte incertum, an dolo Principis; qui, patriæ ruinis usus, auream domum exstruit. XLIV.*

Christiani quæsitissimis pœnis adfecti, falso crimine incendii. Addita suppliciiis ludibria. XLVII. Prodigia. XLVIII. Conjuratio in Nerontem inita & prodita, duce ejus C. Pisone. Multi inlustrium interempti, quos inter Lucanus & Seneca. LXXIV. Decreta dona & grates diis. Mensis Aprilis Neronis cognomentum accipit.

Gesta hæc annis paulo amplius tribus.

AN. U. C. ÆR. CHR.

DCCCXVI. 63. *Coss.* ¶ C. MEMMIO Regulo,
 ¶ L. VERGINIO Rufo.

DCCCXVII. 64. *Coss.* ¶ C. LÆCANIO Basso,
 ¶ M. LICINIO Crasso.

DCCCXVIII. 65. *Coss.* ¶ A. LICIN. Nerva Siliano,
 ¶ M. VESTINO Attico.





*Armeniam invadit Vologeses, Parthorum rex,
quem Corbulo caute, fortiter tamen,
repressit.*

INTEREA rex Parthorum, Vologeses, cognitis Corbulonis rebus, regemque alienigenam Tigranen Armeniæ impositum: simul, fratre Tiridate pulso, spretum Arsacidarum fastigium ire ultimum volens; magnitudine rursus Romana & continui fœderis reverentia, diversas ad curas trahebatur: cunctator ingenio, & defectione Hyrcanorum, gentis validæ, multisque ex eo bellis inligatus. Atque illum ambiguum novus insuper nuntius contumeliæ extimulat: quippe egressus Armenia Tigranes, Adiabenos, conterminam nationem, latius ac diutius, quam per latrocinia, vastaverat. Idque primores gentium ægre tolerabant: eo contemptiois descensum, ut ne duce quidem Romano incursarentur, sed temeritate obsidis, tot per annos inter mancipia habiti. Accendebat dolorem eorum (1)

Monobazus, quem penes Adiabenum regimen, quod præsidium, aut unde peteret, rogitans. Jam de Armenia concessum; & proxima trahi, nisi defendant Parthi: levius servitium apud Romanos deditis, quam captis esse. Tiridates quoque regni profugus, per silentium, aut modice querendo (2), gravior erat. Non enim ignavia, magna imperia contineri: virorum armorumque faciendum certamen. Id in summa fortuna æquius, quod validius. Et sua retinere, privata domus: de alienis certare, regiam laudem esse.

II. Igitur commotus his Vologeses concilium vocat, & proximum sibi Tiridaten constituit, atque ita orditur: Hunc ego, eodem mecum patre genitum, cum mihi, per ætatem, summo nomine concessisset, in possessionem Armenia deduxi, qui tertius potentia gradus habetur: nam Medos Pacorus anteceperat: videbarque, contra vetera fratrum odia & certamina, familie nostræ penates rite composuisse. Prohibent Romani, & pacem, ipsis nunquam prospere lacesitam, nunc quoque in exitium suum abrumpunt. Non ibo inficias: æquitate quam sanguine, causa quam armis, retinere parta majoribus malueram: si cunctatione deliqui, virtute corrigam. Vestra quidem vis & gloria in integro est, addita modestiæ fama; quæ neque summis mortaliū spernenda est (3); & a diis æstimatur. Si

mul diademate caput Tiridatis evinxit; promptat equitum manum, quæ regem ex more sectatur (4), Monesi, nobili viro, tradidit; adjectis Adiabenorum auxiliis: mandavitque *Tigranen Armenia exturbari*, dum ipse, positis adversus Hyrcanos discordiis, res intimas, molemque belli ciet, provinciis Romanis minitans.

III. Quæ ubi Corbuloni certis nuntiis audita sunt, legiones duas cum Verulano Severo, & Vettio Bolano, subsidium Tigrani mittit; occulto præcepto, *compositius cuncta, quam festinantius, agerent*: quippe bellum habere, quam gerere, malebat. Scripseratque Cæsari, *proprio duce opus esse, qui Armeniam defenderet: Syriam, ingruente Volagese, acriter in discrimine esse*. Atque interim reliquas legiones pro ripa Euphratis locat: tumultuariam provincialium manum armat: hostiles ingressus præsiidiis intercipit. Et quia egena aquarum regio est (5), castella fontibus imposita: quosdam rivos congestu arenæ abdidit.

IV. Ea dum a Corbulone tuendæ Syriæ paratur, acto raptim agmine Moneses, ut famam sui præiret, non ideo nescium, aut incautum, Tigranen offendit. Occupaverat Tigranocerta (6), urbem copia defensorum & magnitudine mœnium validam. Ad hæc Nicephorius, annis haud spernenda latitudine, partem mœnorum ambit: & ducta

ingens fossa, qua fluvio diffidebatur. Inerantque milites, & provisi ante commeatus: quorum subvectu pauci avidius progressi, & repentinis hostibus circumventi, ira magis, quam metu, ceteros accenderant. Sed Partho ad exsequendas obsidiones nulla cominus audacia: raris sagittis, neque clausos exterret, & semet frustratur. Adiabeni, cum promovere scalas & machinamenta inciperent, facile detrusi, mox, erumpentibus nostris, cæduntur.

V. Corbulo tamen, quamvis secundis rebus suis, moderandum fortunæ ratus, misit ad Vologesen, qui expostularent *vim provinciæ inlatam: socium amicumque regem, cohortes Romanas circumsideri* (7): *omitteret potius obsidionem, aut se quoque in agro hostili castra positurum.* Casperius Centurio, in eam legationem delectus, apud oppidum Nisibin, septem & triginta millibus passuum a Tigranocerta distantem, adiit regem; & mandata ferociter edidit. Vologesi vetus & penitus infixum erat, arma Romana vitandi (8): nec præsentia prospere fluebant: inritum obsidium: tutus manu & copiis Tigranes: fugati, qui expugnationem sumpserant: missæ in Armeniam legiones: & aliæ pro Syria, paratæ ultro inrumpere: sibi imbecillum equitem pabuli inopia: nam exorta vis locustarum ambederat quidquid herbidum, aut frondosum. Igitur, metu abstruso, mitiora obtendens, *missurum*

ad Imperatorem Romanum legatos, super petens Armenia, & firmanda pace, respondet. Mones omittere Tigranocerta jubet; ipse retro concedit

Cæsennius Pætus adventat, proprius Armenia tuendæ dux: imperitia & temeritate rem perdit: Corbulo ei, sed sero, succurrit.

VI. Hæc plures, ut *formidine regis, & Corbulonis minis. patrata ac magnifica extollebant. Alii occulte pepigisse interpretabantur; ut omisso utrimque bello, & abeunte Vologese, Tigranes quoque Armenia abscederet. Cur enim exercitum Romanum a Tigranocertis deductum? Cur deserta per otium, quæ bello defenderant? An melius hibernavisse in extrema Cappadocia, raptim erectis tuguriis, quam in sede regni modo retenti? Dilata prorsus arma, ut Vologeses cum alio, quam cum Corbulone certaret: Corbulo merita tot per annos gloriæ nos ultra periculum faceret. Nam, ut retuli, proprium ducem tuendæ Armeniæ poposcerat, & adventare Cæsennius Pætus audiebatur: jamque aderat, copiis ita divisis, ut quarta & duodecima legiones, addita quinta, quæ recens e Mœsis excita erat, simul Pontica, & Galatarum Cappadocumque auxilia Pæto obedirent: tertia, & sexta, & decima*

legiones, priorque Syriæ miles apud Corbulonem manerent; cetera ex rerum usu sociarent, partirenturve. Sed neque Corbulo æmulus patiens; & Pætus, cui satis ad gloriam erat, si proximus haberetur, despiciebat gesta, *nihil cædis aut prædæ, usurpatas nomine tenus urbium expugnationes* dicitans: *se tributa ac leges, & pro umbra regis, Romanum jus victis impositurum.*

VII. Sub idem tempus legati Vologesis, quos ad Principem missos memoravi, revertère inriti: bellumque propalam sumptum a Parthis: nec Pætus detrectavit, sed duabus legionibus, quarum quartam Funiulanus Vettonianus (9) eo in tempore, duodecimam Calavius Sabinus regebant, Armeniam intrat, tristi omine. Nam in transgressu Euphratis, quem ponte transmittēbat, nulla palam causa, turbatus equus, qui consularia insignia gestabat, retro evasit. Hostiaque, quæ muniebantur, hibernaculis adsistens, semifacta opera fuga perrupit, seque vallo extulit: & pila: militum arsere, magis insigni prodigio, quia Parthus hostis missilibus telis decertat.

VIII. Ceterum Pætus, spretis omnibus, necdum satis firmatis hibernaculis, nullo rei frumentariæ provisu, rapit exercitum trans montem Taurum, *reciperandis*, ut forebat, *Tigranocertis, vastandisque regionibus, quas Corbulo integras omisisset.* Et capta quedam castella, gloriæque &

prædæ nonnihil partum, si aut gloriam cum modico aut prædam cum cura habuisset. Longinquis itineribus percursando, quæ obtineri nequibant, corrupto, qui captus erat, comœatu, & instante aut hieme, reduxit exercitum; composuitque ad Caspæm literas, quasi confecto bello, verbis magnificentiarum rerum vacuas.

IX. Interim Corbulo numquam neglectam Euphratis ripam crebrioribus præsiidiis insedit: & in Ponto injiciendo impedimentum hostiles turmæ afferrent, (jam enim subjectis campis magna species volitabant) naves magnitudine præstantes, & connexas trabibus, ac turribus auctas, agit per amnem, catapultisque & balistis proturbat barbaros, in quos saxa & hastæ longius permeabant, quam ut contrario sagittarum jactu adæquarentur. Dein post continuatus; collesque adversi per socias cohortes, post legionum castris occupantur, tanta celeritate & ostentatione virium; ut Parthi, omissa paratu invadendæ Syriæ, spem omnem in Armeniam verterent.

X. Ibi Pætus, imminentium nescius, quintam legionem procul in Ponto habebat: reliquas promiscuis militum comœatibus infirmaverat; donec, adventare Vologesen magno & infenso agmine, auditum. Accidit legio duodecima, & unde famam aucti exercitus speraverat (10), prodita infrequentia:

tia:

tia: qua tamen retineri castra, & eludi Parthus tractu belli poterat, si Pæto aut in suis, aut in alienis consiliis constantia fuisset. Verum ubi a viris militaribus adversus urgentes casus firmatus erat, rursus, ne alienæ sententiæ indigens videretur, in diversa ac deteriora transibat. Et tunc relictis hibernis, *non fossam, neque vallum sibi, sed corpora & arma in hostem data* clamitans, duxit legiones, quasi prælio certaturus: deinde, amisso centurione & paucis militibus, quos visendis hostium copiis præmiserat, trepidus remeavit. Et quia minus acriter Vologeses institerat, vana rursus fiducia, tria millia delecti peditus proximo Tauri jugo imposuit, quo transitum regis arcerent (11): alares quoque Pannonios, robur equitatus, in parte campi locat. Conjunx ac filius castello, cui Arsamosata (12) nomen est, abditi, data in præsidium cohorte, ac disperso milite, qui in uno habitus, vagum hostem promptius sustentavisset: & ægre compulsus ferunt, ut instantem Corbuloni fateretur (13): nec a Corbulone properatum, quo, gliscentibus periculis, etiam subsidii laus augetur. Expediri tamen itineri singula millia ex tribus legionibus, & alarios octingentos, parem numerum e cohortibus jussit.

XI. At Vologeses, quamvis *obsessa a Pæto itinera hinc peditatu, inde equite* accepisset, nihil

mutato consilio, sed vi ac minis alares exterruit legionarios obrivit, uno tantum centurione, Tarquitio Crescente, turrim; in qua præsidium agibat, defendere auso; factaque sæpius eruptione, & cæsis, qui barbarorum propius suggredebantur, de nec ignium jactu circumveniretur: peditum si quis integer, longinqua & avia; vulnerati, castra repetivere: *virtutem regis, sævitiam & copias gentium*; cuncta metu extollentes, facili credulitate eorum, qui eadem pavebant. Ne dux quidem obniti adversis, sed cuncta militiæ munia deseruerat, missis iterum ad Corbulonem precibus, *veniret prope, signa & aquilas, & nomen reliquum infelicis exercitus tueretur: se fidem interim, donec vita suppeditet, retenturos.*

XII. Ille interritus, & parte copiarum apud Syriam relicta, ut munimenta Euphrati imposita retinerentur, qua proximum & com meatibus non ege- num, regionem Comtāgenam, exin Cappadociam, inde Armenios petivit. Comitabantur exercitum, præter alia sueta bello, magna vis camelorum, onusta frumenti(14), ut simul hostem famemque depelleret. Primum e percussis Pactium, primipili centurionem, obvium habuit, dein plerosque militum: quos diversas fugæ causas obtendentes, *redire ad signa, & clementiam Pæti experiri* monebat: *se nisi victoribus immitem esse.* Simul suas legiones adire,

hortari, priorum admonere, novam gloriam ostendere. *Non vicos aut oppida Armeniorum, sed castra Romana, duasque in iis legiones pretium laboris peti. Si singulis manipularibus (15) præcipua servati civis corona imperatoria manu tribueretur, quod illud & quantum decus, ubi par eorum numerus adipisceretur, qui attulissent salutem, & qui accepissent?* His atque talibus in commune alacres, (& erant quos pericula fratrum, aut propinquorum propriis stimulis incenderent) continuum diu noctuque iter properabant.

XIII. Eoque intentius Vologeses premere obsessos, modo vallum legionum, modo castellum, quo imbellis ætas defendebatur, adpugnare, propius incedens, quam mos Parthis, si ea temeritate hostem in prælium eliceret. At illi vix contuberniis extracti; nec aliud, quam munimenta, propugnabant: pars jussu ducis, & alii propria ignavia, ut Corbulonem opperientes, ac si vis ingrueret, provisus exemplis (16) Caudinæ ac Numantinæ cladis: *Neque eandem vim Samnitibus, Italico populo, aut Pœnis, Romani imperii æmulis. Validam quoque & laudatam antiquitatem, quotiens fortuna contra daret, saluti consuluisse.* Qua desperatione exercitûs dux subactus, primas tamen literas ad Vologesen, non supplices, sed in modum querentis composuit, quod pro Armeniis, semper Romanæ

ditionis, aut subjectis regi, quem Imperator deligisset, hostilia faceret. Pacem ex æquo utilem. Nec presentia tantum spectaret. Ipsum adversus duas legiones, totis regni viribus advenisse: at Romanis orbem terrarum reliquum, quo bellum jurerent.

XIV. Ad ea Vologeses, nihil pro causa, sed opperendos sibi fratres, Pacorum ac Tiridaten, rescripsit: illum locum (17) tempusque consilio destinatum, quo de Armenia cernerent: adjecisse deo dignum Arsacidarum, simul & de legionibus Romanis statuerent. Missi post a Pæto nuntii, & regis colloquium petitum, qui Vasacen, præfectum equitatus, ire jussit. Tum Pætus, Lucullos, Pompejos, & si qua Cæsares obtinendæ donandæve Armeniæ egerant; Vasaces, imaginem retinendi largiendive penes nos, vim penes Parthos memorat. Et multum invicem disceptato, Monobazus Adiabenus in diem posterum testis iis, quæ pepigissent, adhibetur. Placuitque liberari obsidio legiones, & decedere omnem militem finibus Armeniorum, castellaque & commeatus Parthis tradi: quibus perpetratis, copia Vologesi fieret, mittendi ad Neronem legatos.

XV. Interim flumini Arsaniaz (is castra præfluebat) pontem imposuit, specie sibi illuditer expedientis. Sed Parthi, quasi documentum victoriæ,

jusserant : namque iis usui fuit . Nostri per diversum iere . Addidit rumor , *sub jugum missas* (18) *legiones* , & alia ex rebus infaustis , quorum simulacrum ab Armeniis usurpatum est . Namque & munimenta ingressi sunt , antequam agmen Romanum excederet ; & circumsteterunt vias , captiva olim mancipia , aut jumenta agnoscentes , abstrahentesque . Raptæ etiam vestes , retenta arma , pavido milite , & concedente , ne qua prælii causa existeret . Vologeses , armis & corporibus cæсорum aggregatis , quo cladem nostram testaretur , visu fugientium legionum abstinuit . Fama moderationis quærebatur , postquam superbiam expleverat . Flumen Arsaniam elephanto insidens , proximus quisque regem (19) , vi equorum , perripere , quia rumor inceserat , *pontem cessurum oneri , dolo fabricantium* . Sed qui ingredi ausi sunt , validum & fidum intellexerunt .

XVI. Ceterum obsessis adeo suppeditavisse rem frumentariam constitit , ut horreis ignem injicerent : contraque prodiderit Corbulo , *Partbos inopes copiarum , & pabulo attrito , relictuos oppugnationem , neque se plus tridui itinere abfuisse* . Adjecit , *jurejurando Paci cautum apud signa , adstantibus iis , quos testificando rex misisset , neminem Romanum Armeniam ingressurum , donec referrentur literæ Neronis , an paci annueret* . Quæ ut augendæ infamæ composita , sic reliqua non in ob-

scuro habentur : una die quadraginta millium spatium emensum esse Pætum, desertis passim sauciis; neque minus deformem illam fugientium trepidationem, quam si terga in acie vertissent. Corbulocum suis copiis apud ripam Euphratis obuius, noteam speciem insignium & armorum (20) prætulit, ut diversitatem exprobraret. Mæsti manipuli, ac vicem commilitonum miserantes, ne lacrymis quidem temperare: vix præ fletu usurpata consalutatio. Decesserat certamen virtutis, & ambitio gloriæ, felicium hominum affectus: sola misericordia valebat, & apud minores magis.

XVII. Ducum inter se brevis sermo secutus est, hoc conquerente (21) *inritum laborem: potuisse bellum fuga Parthorum finire. Ille integre utrique cuncta respondit, converterent aquilas, & iuncti invaderent Armeniam, abscessu Vologesis infirmatam. Non ea Imperatoris habere mandata, Corbulo: periculo legionum commotum, e provincia egressum. Quando in incerto habeantur Parthorum conatus, Syriam repetiturum. Sic quoque optimam fortunam orandam, ut pedes, confectus spatiis itinerum, alacrem & facilitate camporum prævenientem equitem adsequeretur. Exin Pætus per Cappadociam hibernavit. At Vologesis ad Corbulonem missi nuntii, detraberet castella trans Euphraten; amnemque, ut olim, medium faceret. Ille, Armeniam quo-*

que diversis præsiidiis vacuam feri expostulabat. Et postremo concessit rex: dirutaque, quæ ultra Euphraten communierat Corbulo; & Armenii sine arbitro relictæ (22) sunt.

Romæ tropæa de Parthis decreta, integro adhuc bello.

XVIII. At Romæ tropæa de Parthis, arcusque medio Capitolini montis sistebantur, decreta ab senatu, integro adhuc bello, neque tum ommissa, dum aspectui consulitur, sprete conscientia. Quin & dissimulandis rerum externarum curis, Nero frumentum plebis (23), vetustate corruptum, in Tiberim jecit, quo securitatem annonæ sustentaret: cujus pretio nihil additum est, quamvis ducentas ferme naves portu in ipso, violentiâ tempestatis, & centum alias, Tiberi subvectas, fortuitus ignis absumpsisset. Tres dein consulares, L. Pisonem, Ducenium Geminum, Pompejum Paullinum vectigalibus publicis præposuit, cum insectatione priorum Principum, *qui gravitate sumptuum justos redditus anteissent: se annum sexcenties sestertium (24) rei publicæ largiri.*

Senatusconsultum de filiis adoptionibus.

XIX. Percrebuerat ea tempestate pravissimos (25), cum propinquis comitiis, aut sorte provinciarum, plerique orbifiliis adoptionibus adsciscerent filios (26), præturasque & provincias inter patres sortiti, statim emitterent manu, quos adoptaverant. Magna cum invidia senatum adeunt (27), *ius naturæ, labores educandi, adversus fraudem & artes & brevitatem adoptionis* enumerant: *Satis pretiū esse orbis, quod multa securitate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta prompta & obvia haberent. Sibi promissa legum diu exspectata in ludibrium verti, quando quis sine sollicitudine parens, sine luctu orbis, longa patrum vota repente adequaret.* Factum ex eo senatusconsultum, *ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici juroret, ac ne usurpandis quidem hæreditatibus prodesset* (28).

XX. Exin Claudius Timarchus, Cretensis, reus agitur, ceteris criminibus, ut solent prævalidi provincialium, & opibus nimis ad injurias minorum elati: una vox ejus usque ad contumeliam senatus penetraverat, quod dicitasset, *in sua potestate situm, an proconsulibus, qui Cretam obtinuissent, grates agerentur* (29). Quam occasionem Pætus

Thrasea ad bonum publicum vertens, postquam de reo censuerat, *provincia Creta depellendum*, hæc addidit: *Usu probatum est, patres conscripti, leges egregias, exempla honesta, apud bonos ex delictis aliorum gigni. Sic oratorum licentia, Cinciam rogationem; candidatorum ambitus, Julias leges; magistratuum avaritia, Calpurnia scita, pepererunt. Nam culpa, quam pœna, tempore prior: emendari, quam peccare, posterius est. Ergo adversus novam provincialium superbiam dignum fide constantiaque Romana capiamus consilium, quo tutela sociorum nihil derogetur, nobis opinio decedat, qualis quisque habeatur, alibi quam in civium iudicio esse.*

XXI. *Olim quidem non modo prætor, aut consul, sed privati etiam mittebantur, qui provincias viderent, & quid de cujusque obsequio videretur; referrent: trepidabantque gentes de existimatione singulorum. At nunc colimus externos, & adulamur; & quomodo ad nutum alicujus grates, ita promptius accusatio decernitur: decernaturque, & maneat provincialibus, potentiam suam tali modo ostentandi (30): sed laus falsa & precibus expressa, perinde cobibeantur, quam malitia, quam crudelitas. Plura sæpe peccantur, dum demeremur, quam dum offendimus. Quædam immo virtutes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversum gra-*

tiam animus. Inde initia magistratum nostrorum meliora ferme, & finis inclinat, dum, in modum candidatorum, suffragia conquirimus: quæ si erceantur, æqualius atque constantius provinciæ negentur: nam ut metu repetundarum infracta cœritia est, ita, vetita gratiarum actione, ambitio (31) cobibetur.

XXII. Magno assensu celebrata sententia. Non tamen senatusconsultum perfici potuit, abnuentibus consulibus *ea de re relatum* (32). Mox, auctore Principe, sanxere, *ne quis ad concilium sociorum referret, agendas apud senatum prætoribus proreconsulibus grates, neu quis ea legatione fungeretur.* Iisdem consulibus, gymnasium ictu fulminis conflavit, effigiesque in eo Neronis ad informe æs liquefacta. Et motu terræ, celebre Campaniæ oppidum, Pompeji, magna ex parte proruit. Defunctaque virgo Vestalis Lælia, in cuius locum Cornelia ex familia Cossorum capta est.



AN. U. C. DCCCXVI. ÆR. CHR. 63.

Neroni filia ex Poppæa nascitur. Ingens, sed fluxa, lætitia. Infans, quartum intra mensem defuncta, honorem divæ obrinet.

XXIII. Memmio Regulo, & Verginio Rufo consulibus, natam sibi ex Poppæa filiam Nero ultra mortale gaudium accepit, appellavitque *Augustam*, dato & Poppææ eodem cognomento. Locus puerperio colonia Antium fuit, ubi ipse generatus erat. Jam senatus *uterum Poppææ* commendaverat diis, vota que publice susceperat: quæ multiplicata, exsolutaque. Et additæ *supplicationes, templumque Fecunditati, & certamen, ad exemplar Adiacæ religionis* (33) decretum: *utque Fortunarum effigies aureæ in solio Capitolini Jovis locarentur: ludicrum Circense, ut Juliæ genti apud Bovillas* (34), *ita Claudiæ Domitiæque apud Antium ederetur.* Quæ fluxa fuere, quartum intra mensem defuncta infante. Rursusque exortæ adulationes, censentium *honorem divæ, & pulvinar, ædemque & sacerdotem.* Atque ipse ut lætitia, ita mæroris immodicus egit. Adnotatum est, omni senatu Antium sub recentem partum effuso, Thræeam prohibitum; inmoto animo, prænuntiam imminentis cædis contumeliam ex-

cepisse . Secutam dehinc vocem Cæsaris ferunt qua reconciliatum se Thraseæ, apud Senecam jactaverit, ac Senecam Cæsari gratulatum . Unde gloria egregiis viris, & pericula gliscebant .

Parthorum legati Romam veniunt, super retinenda Armenia: irriti remittuntur; & bellum Corbuloni permissum. Armeniam iterum invadit; metuque Parthis injecto, ad colloquium ventum est. Placuit arma poni, & Tiridaten diadema statuæ Neronis submittere, nec nisi sponte ejus resumere.

XXIV. Inter quæ, veris principio, legati Parthorum mandata regis Vologesis, literasque in eandem formam attulere: *Se priora, & totiens jactata super obtinenda Armenia, nunc omittere, quoniam dii, quamvis (35) potentium populorum arbitri, possessionem Parthis, non sine ignominia Romana, tradidissent. Nuper clausum Tigranem; post Pætum legionesque, cum opprimere posset, incolumes dimisisse. Satis approbatam vim: datum & lenitatis experimentum. Nec recusaturum Tiridaten accipiendo diademati in Urbem venire, nisi sacerdotii religione attineretur. Iturum ad signa & effigies Principis (36), ubi, legionibus coram, regnum auspicaretur.*

XXV. Talibus Vologesis literis, quia Pætus diversa, tamquam rebus integris, scribebat, interrogatus centurio, qui cum legatis advenerat, *quò in statu Armenia esset? omnes inde Romanos excessisse* respondit. Tum intellecto barbarorum inrisu, qui peterent, quod eripuerant, consuluit inter primores civitatis Nero, *bellum anceps, an pax inbonesta placeret*. Nec dubitatum de bello. Et Corbulo, tot per annos militum atque hostium gnarus, gerendæ rei præficitur, ne cuius alterius inscitia rursus peccaretur, quia Pæti piguerat. Igitur inriti remittuntur, cum donis tamen, unde spes fieret, non frustra eadem oraturum Tiridaten, si preces ipse attulisset. Syriæque exsecutio (37) Cestio, copiæ militares Corbuloni permissæ, & quintadecima legio, ducente Mario Celso, e Pannonia adjecta est. Scribitur tetrarchis ac regibus, præfectisque & procuratoribus, & qui prætorum finitimas provincias regebant, *jussis Corbulonis obsequi*, in tantum ferme modum aucta potestate, quem populus Romanus Cn. Pompejo, bellum Piraticum gesturo, dederat. Regressum Pætum, cum graviora metueret, facetiis insectari satis habuit Cæsar, his ferme verbis: *Ignoscere se statim, ne tam promptus in pavorem longiore sollicitudine ægresceret*.

XXVI. At Corbulo, quarta & duodecima legionibus, quæ fortissimo quoque amisso, & ceteris

exterritis, parum habiles prælio videbantur, in S^{er}iam translatis, sextam inde ac tertiam legione integrum militem, & crebris ac prosperis laboribus exercitum, in Armeniam ducit. Addiditque legionem quintam, quæ per Pontum agens, expers cadis fuerat. Simul quintadecimanos, recens adductos & vexilla delectorum ex Illyrico & Ægypto, quodque alarum cohortiumque, & auxilia regum in unum conducta apud Melitenen, qua transmittere Euphraten parabat. Tum lustratum rite exercitum ad concionem vocat, orditurque magnifica *de auspiciis Imperatoris, rebusque a se gestis*, adversa in inscitiam *Pæti* declinans: multa auctoritate, quæ viro militari pro facundia erat.

XXVII. Mox iter, L. Lucullo quondam pertratum, apertis, quæ vetustas obsepserat, pergit. Et venientes Tiridatis Vologesisque de pace legatos haud aspernatus, adjungit iis centuriones, cum mandatis non immitibus: *nec enim adhuc eo ventum, ut certamine extremo opus esset. Multa Romanis secunda, quædam Parthis evenisse, documento adversus superbiam: proinde & Tiridati conducere, intactum vastationibus regnum dono accipere; & Vologesen melius societate Romana, quam damnis mutuis genti Parthorum consulturum. Scire quantum intus discordiarum, quamque indomitas & præferoces nationes regeret. Contra Imperatori*

suo immotam ubique pacem, & unum id bellum esse. Simul consilio terrorem adjicere; & Megistanas (38) Armenios, qui primi a nobis defece- rant, pellit sedibus, castella eorum excindit: plana, edita, validos, invalidosque, pari metu complet.

XXVIII. Non infensum, nedum hostili odio, Corbulonis nomen etiam barbaris habebatur, eoque consilium ejus fidum credebant. Ergo Vologeses neque atrox in summam (39), & quibusdam præfe- cturis inducias petit. Tiridates locum diemque colloquio poscit. Tempus propinquum, locus, in quo nuper obsessæ cum Pæto legiones erant, cum a barbaris delectus esset, ob memoriam lætioris sibi rei, non est a Corbulone vitatus, ut dissimilitudo fortunæ gloriam auget. Neque infamia Pæti angebatur, quod eo maxime patuit, quia filio ejus, tribuno, ducere manipulos, atque operire reli- quias (40) malæ pugnæ imperavit. Die pacta, Ti- berius Alexander (41), illustris eques Romanus, minister bello datus, & Vivianus Annius (42), ge- ner Corbulonis, nondum senatoria ætate (43), sed pro legato quintæ legioni impositus, in castra Ti- ridatis venire, honore ejus, ac ne metueret insi- dias, tali pignore. Viceni dehinc equites adsum- pti. Et viso Corbulone, rex prior equo desiluit: nec cunctatus Corbulo. Sed pedes uterque dextras miscuere.

XXIX. Exin Romanus laudat juvenem, *omnis præcipitibus, tuta & salutaria capessentem*. Ille de nobilitate generis multum præfatus, cetera temperanter adjungit: *Iturum quippe Romam, leturumque novum Cæsari decus, non adversis Partorum rebus, supplicem Arsaciden*. Tum placuit Tiridaten ponere, apud effigiem Cæsaris, insignis regium, nec nisi manu Neronis resumere: & colloquium osculo finitum. Dein paucis diebus interjectis, magna utrimque specie, inde eques compositus per turmas, & insignibus patriis, *hinc agmina legionum stetero, fulgentibus aquilis, signisque & simulacris deum in modum templi*. Medio tribunal sedem curulem, & sedes effigiem Neronis, sustinebat. Ad quam progressus Tiridates, cæsis ex more victimis, sublatum capite diadema imagini subjecit: magnis apud cunctos animorum motibus, quos augebat insita adhuc oculis exercituum Romanorum cædes, aut obsidio. *At nunc versos casus: iterum Tiridaten ostentui gentibus, quanto minus, quam captivum?*

XXX. Addidit gloriæ Corbulo comitatem, epulasque, & rogitante rege causas, quotiens novum aliquid adverterat: ut, initia vigiliarum (44) per centurionem nuntiari, convivium buccina dimitti, & structam ante Augurale (45) aram subdita face accendi: cuncta in majus attollens (46), admiratione

prisci moris adfecit. Postero die *spatium* oravit, quo tantum itineris aditurus, fratres ante, matremque viseret: obsidem interea filiam tradit, literasque supplices ad Neronem.

XXXI. Et digressus Paçorum apud Medos, Vologesen Ecbatanis reperit, non incuriosum fratris: quippe & propriis nuntiis a Corbulone petierat, ne quam imaginem servitii Tiridates perferret; ne ferrum traderet, aut complexu provincias obtinentium arceretur, foribusve eorum adsisteret: tantusque ei Romæ, quantus consulibus, honor esset. Scilicet externæ superbix sueto non inerat notitiâ nostrâ: apud quos vis imperii valet, inania transmittuntur.

Nationes Alpium maritimarum in jus Latii translatae.

XXXII. Eodem anno Cæsar nationes Alpium maritimarum in jus Latii transtulit. Equitum Romanorum locos sedilibus plebis anteposuit, apud Circum: namque ad eam diem indiscreti inibant, quia lex Roscia nihil, nisi de quatuordecim ordinibus (47), sanxit. Spectacula gladiatorum idem annus habuit, pari magnificentia ac priora. Sed feminarum inlustrium senatorumque plures per arenam (48) scædati sunt.

AN. U. C. DCCCXVII. ÆR. CHR. 64.

*Nero Neapoli canit in publico: Romæ luxu
& libidine omnia polluit.*

XXXIII. C. Læcanio, M. Licinio consulibus, acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiscuas scenas frequentandi: nam adhuc per domum, aut hortos cecinerat Juvenalibus ludis, quos, ut parum celebres, & tantæ voci angustos, spernebat. Non tamen Romæ incipere ausus, Neapolim, quasi Græcam urbem, delegit: *Inde initium fore, ut transgressus in Achajam, insignesque, & antiquitus særas, coronas (49) adeptus, majore fama studi civium eliceret.* Ergo contractum oppidanorum vulgus, & quos e proximis coloniis & municipiis ejus rei fama civerat, quique Cæsarem per honorem, aut varios usus sectantur, etiam militum manipali, theatrum Neapolitanorum complent.

XXXIV. Illic, plerique ut arbitrabantur, triste, ut ipse, providum potius, & secundis numinibus, evenit. Nam egresso, qui adfuerat, populo, vacuum & sine ullius noxa, theatrum collapsum est. Ergo, per compositos cantus grates diis, atque ipsam recentis casus fortunam celebrans, petiturusque maris Adriæ trajectus, apud Beneventum

interim consedit: ubi gladiatorum munus a Vatinio celebré edebatur. Vatinus inter foedissima ejus aulae ostentâ fuit, sutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus: primo in contumelias adsumptus, deinde optimi cujusque criminatione eo usque valuit, ut gratia, pecunia, vino-cendi etiam malos præmineret.

Torquatus Silanus mori adigitur.

XXXV. Ejus munus frequentanti Neroni, ne inter voluptates quidem a sceleribus cessabatur. Iisdem quippe illis diebus Torquatus Silanus mori adigitur, quia, super Juniae familiae claritudinem, divum Augustum abavum (50) ferebat. Jussi accusatores objicere, *prodigum largitionibus; noque aliam spem, quam in novis rebus esse; quia nec ignobiles habere (51), quos ab epistolis, & libellis, & rationibus appellet, nomina summa curæ (52) & meditantia.* Tum intimas quisque libertorum vinculis abreptique. Et cum damnatio instaret, brachiorum venas Torquatus interscidit, secutaque Neronis oratio ex mote: *Quamvis sentem & defensionis merito diffisum, victurum tamen fuisse, et clementiam judicis ienspectasset.*

XXXVI. Nec multo post, ommissa in præsens Achaja, (causæ in incerto fuere) Urbem revisit;

provincias Orientis, maxime Ægyptum, secretis imaginationibus agitans. Dehinc edicto testificatus non longam sui absentiam; & cuncta in republica perinde immota ac prospera fore, super ea prædicatione adiit Capitolium. Illic veneratus deos, cur Vestæ quoque templum inisset, repente cunctos per artus tremens, seu numine exterrente, seu facinororum recordatione numquam timore vacuus, deservit inceptum, cunctas sibi curas amore patriæ leviores dictitans. Vidisse mæstos civium vultus, audire secretas querimonias, quod tantum aditurus esset iter, cujus ne modicos quidem egressus tolerarent, suæ adversum fortuita aspectu Principis refoceri. Ergo, ut in privatis necessitudinibus proxima pignora prævalerent, ita populum Romanum vim plurimam habere; parendumque retinenti. Hæc atque talia plebi volentia (53) fuere; voluptatum cupidine, & quæ præcipua cura est, rei frumentariæ angustias, si abesset, metuenti. Senatus & primores in incerto erant, procul an coram atrocior haberetur: dehinc, quæ natura magnis timoribus, deterrius credebant, quod evenerat.

XXXVII. Ipse, quo fidem acquireret, nihil usquam perinde lætum sibi (54); publicis locis (55) struere convivia, totaque Urbe quasi domo uti. Et celeberrimæ luxu famaque epulæ fuere, quas a Tigellino paratas, ut exemplum referam, ne se-

plus eadem prodigientia narranda sit. Igitur in stagno Agrippæ fabricatus est ratem, cui superpositum convivium aliarum tractu navium moveretur; naves auro & ebore distinctæ, remigesque exoleti, per ætates & scientiam libidinum componebantur. Volucres & feras diversis e terris, & animalia maris Oceano ab usque (56) petiverat. Crepidinibus stagni lupanaria adstabant, inlustribus feminis completa: & contra scorta visebantur, nudis corporibus. Jam gestus motusque obsceni; & postquam tenebræ incedebant, quantum juxta nemoris, & circumjecta tella, consonare cantu & luminibus clarescere. Ipse, per licita atque illicita frædatus, nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret; nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege cui nomen *Pythagoræ* fuit, in modum sollempnium conjugiorum denupsisset. Indicum Imperatori flammeum, visi auspices, dos, & genialis torus, & faces nuptiales: cuncta denique spectata, quæ etiam in femina nox operit.

*Urbs ardet, forte incertum, an dolo Principis;
qui, patriæ ruinis usus, auream domum
extruit.*

XXXVIII. Sequitur clades, forte, an dolo Principis, incertum: nam utrumque auctores prodidere:

sed omnibus, quæ huic Urbi per violentiam ignis acciderunt, gravior atque atrocior. Initium in ea parte Circi ortum, quæ Palatino Cælioque montibus contigua est. Ubi per tabernas, quibus ad mercimonium inerat, quod flamma alitur, simul coepta ignis, & statim validus, ac vento citus, longitudinem Circi corripuit. Neque enim domus monumentis septæ, vel templâ muris cincta, aut quid aliud moræ interjacebat. Impetu pervagatum incendium, plana primum, deinde in edita adsurgens, & rursus inferiora populando anteit remedia velocitate malâ, & obnoxia Urbe arctis itineribus, hucque & illuc flexis, atque enormibus vicis (57), qualis vetus Roma fuit. Ad hoc lamenta parentum feminarum, fessa senum aut rudis pueritiæ ætas (58), quique sibi, quique aliis consulebant, dum trahunt invalidos, aut opperiuntur, pars morans, pars festinans, cuncta impediebant: & sæpe, dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumveniebantur: vel, si in proxima evaserant, illis quoque igni correptis, etiam, quæ longinqua crediderant, in eodem casu reperiebantur. Postremo, quid viverent, quid peterent ambigui, complere vias, sterne per agros: quidam amissis omnibus fortunis, diurni quoque victis, alii caritate suorum, quos eripere nequiverant, quamvis patente effugio, interiori. Nec quisquam defendere audebat, crebris

multorum minis, restinguere prohibentium; & quia alii palam faces jaciebant, atque sibi esse auctorem vociferabantur; sive ut raptus licentius exercerent, seu jussu.

XXXIX. Eo in tempore Nero, Antii agens, non ante in Urbem regressus est, quam domui ejus, qua palatium & Mæcenatis hortos (59) continuaverat, ignis propinquaret. Neque tamen sisti potuit, quin & palatium, & domus, & cuncta circum haurirentur. Sed solatium populo, exturbato & profugo, campum Martis, ac monumenta Agrippæ, hortos quin etiam suos, patefecit: & subitaria ædificia extruxit, quæ multitudinem inopem acciperent. Subvectaque utensilia ab Ostia, & propinquis municipiis. Pretiumque frumenti minutum, usque ad ternos nummos (60). Quæ, quamquam popularia, in inritum cadebant, quia pervaserat rumor, ipso tempore flagrantis Urbis, inisse eum domesticam scenam, & cecinisse Trojanum excidium, præsentia mala vetustis cladibus adsimulantem.

XL. Sexto demum die, apud imas Esquilias, finis incendio factus, prorutis per immensum ædificiis (61), ut continuæ violentiæ campus, & velut vacuum cælum occurreret. Nec dum posito metu, redibat haud levis, & rursus grassatus ignis (62), patulis magis Urbis locis, eoque strages hominum minor: delubra deum, & porticus amœnitati dicata,

latius procidere. Plusque infamiae id incendium habuit, quia praedixit Tigellini Æmilianis (63) properat. Videbaturque Nero condendae Urbis novae, & cognomento suo appellandae gloriam quaerere. Quippe in regiones quatuordecim Roma dividitur: quarum quatuor integræ manebant, tres solo tenae dejectae: septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera & semiusta.

XLI. Domuum, & insularum, & templorum, quae amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit: sed vetustissima religione, quod *Servius Tullius* Lunæ, & Magna ara fanumque, quae praesenti *Herculi Arcas Evander* sacraverat, aedesque *Statoris Jovis*, vota *Romulo*, *Numæ*que regia, & delubrum *Vestæ* cum penatibus populi Romani (64), exusta. Jam opes tot victoriis quaesitae (65), & *Græcarum* artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua & incorrupta; quamvis in tanta resurgentis Urbis pulchritudine, multa seniores meminerant, quae reparari nequibant. Fuere, qui adnotarent, xiv Kalendas Sextiles principium incendii hujus ortum, quo & *Senones* captam Urbem inflammaverant. Alii eo usque cura progressi sunt, ut totidem annos mensesque & dies (66) inter utraque incendia numerent.

XLII. Ceterum Nero usus est patriæ ruinis (67), extruxitque domum, in qua haud perinde gemmæ

& aurum miraculo essent, solita pridem, & lu-
 tu vulgata, quam arva & stagna, & in modam
 olitudinum, hinc silvæ, inde aperta spatia & pros-
 pectus; magistris & machinatoribus Severo & Ce-
 lere, quibus ingenium & audacia erat; etiam quæ
 natura denegavisset, per artem tentare, & viribus
 Principis includere. Namque *ab lacu Averno navi-
 gabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressuros*
 promiserant, squalenti (68) litore, aut per montes
 adversos. Neque enim aliud humidum, gignendis
 aquis occurrit, quam Pomptinæ paludes: cetera ab-
 rupta aut arenia; ac si perumpi possent, intole-
 randus labor, nec satis causæ. Nero tamen, ut erat
 incredibilium cupitor, effodere proxima Averno ju-
 ga connixus est: manentque vestigia inritæ spei.

XLIII. Ceterum, Urbis quæ domui supererant,
 non, ut post Gallica incendia, nulla distinctione,
 nec passim, erecta (69): sed dimensis vicorum or-
 dinibus, & latis viarum spatiis, cohibitaque ædifi-
 ciorum altitudine, ac patefactis arcis, additisque
 porticibus, quæ frontem insularum protegerent. *Ear-
 porticus Nero sua pecunia extruendum, purgatas-
 que areas dominis traditurum, pollicitus est. Ad-
 didit præmia pro cujusque ordine, & rei familiaris
 copiis: finivitque tempus, intra quod, effectis do-
 mibus, aut insulis, adipiscerentur. Ruderi acci-
 piendo Ostienses paludes destinabat, utique naves,*

quæ frumentum Tibori subveclassent, onusta ru-
 dere decurrerent: ædificiaque ipsa certa sui parti,
 sine trabibus, saxo Gabino Albanove solidarentur
 (quod is lapis ignibus impervius est). Jam aquæ,
 privatorum licentia intercepta, quo largior & pla-
 ribus locis in publicum fuerat, custodes (70); &
 subsidia reprimendis ignibus, in propatulo quisque
 haberet; nec communione parietum, sed propriis
 quæque maris ambirentur. Ea ex utilitate accepta,
 decorem quoque novæ Urbi attulere. Erant tamen,
 qui crederent, veterem illam formam salubritati
 magis conduxisse, quoniam angustiae itinerum, &
 altitudo tectorum non perinde solis vapore persum-
 perentur. At nunc patulam latitudinem, & nulla
 umbra defensam, graviore æstu ardescere.

*Chelotiani quæsitissimis pœnis adfecti, falso crimine
 incendii. Addita suppliciiis ludibria.*

XLIV. Et hæc quidem humanis consiliis provi-
 debantur. Mox petita diis piacula (71), aditque Si-
 byllæ libri, ex quibus supplicatum Vulcano & Ce-
 reræ, Proserpinæque, ac propitiata Juno per ma-
 tronas, primum in Capitolio, deinde apud proxi-
 mum mare: unde hausta aqua, templum & simu-
 lacrum deæ prospersum est; & sellisternia (72) ac
 pervigilia celebravere feminæ, quibus mariti erant.

Sed non ope humana, non largitionibus Principis, aut deum placamentis, decedebat infamia, quin jussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis adfecit, quos, per flagitia invisos (73), vulgus *Christianos* appellabat. Auctor nominis ejus *CHRISTUS*, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat. Repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Judæam, originem ejus mali, sed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocía, aut pudenda, confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, hæud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt (74). Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis coniecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi (75), atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, & Circensio ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel curriculo insistens. Unde, quamquam adversus fontes & novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed in sævitiam unius absumerentur.

XLV. Interdum conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciæ eversæ, sociique populi, & quæ

civitatum liberæ vocantur. Inque eam prædam etiam dii cessere, spoliatis in Urbe templis, egestaque auro, quod triumphis, quod votis, omnis populi Romani ætas prospere, aut in metu (76), sacraverat. Enimvero per Asiam atque Achajam nec dona tantum, sed simulacra numinum abripiebantur, missis in eas provincias Acrato ac Secundo Carinate. Ille libertus, cuicumque flagitio promptus: hic Græcæ doctrina ore tenus exercitus, animum bonis artibus non induerat. Ferebatur *Seneca*, quo invidiam sacrilegii a semet averteret, longinqui ruris secessum oravisse; & postquam non concedebatur, fissa valetudine, quasi æger nervis, cubiculum non egressus. Tradidere quidam, venenum ei per libertum ipsius, cui nomen *Cleonicus*, paratum, jussu *Neronis*: vitatumque a *Seneca* prodicione liberti, seu propria formidine, dum persimplici victu, & agrestibus pomis, ac, si sitis admoueret, profluente aqua vitam toletat.

XLVI. Per idem tempus gladiatores, apud oppidum Præneste, tentata eruptione, præsidio militis, qui custós adesset, coerciti sunt: jam *Spartacum*, & vetera mala rumoribus ferente populo, ut est novarum rerum cupiens pauidusque. Nec multo post clades rei navalis accipitur, non bello (quippe hæud alias tam immota pax); sed certum ad diem in Campaniam redire classem Nero jusserat,

non exceptis maris casibus. Ergo gubernatores, quamvis sæviente pelago a Formiis movere, & grati Africo, dum promontorium Miseni superare con-
 endunt, Cumanis litoribus impacti, triremium ple-
 nasque, & minora navigia passim amiserunt.

Prodigia.

XLVII. Fine anni vulgantur prodigia, immi-
 nentium malorum nuntia. Vis fulgurum non alias
 crebrior, & sidus cometes, sanguine inlustri semper
 Neroni expiatum (77). Bicipites hominum aliorum-
 ve animalium partus abjecti in publicum, aut in sa-
 crificiis, quibus gravidas hostias immolare mos est,
 reperti. Et in agro Placentino, viam propter, na-
 tus vitulus, cui caput in crure esset. Secutaque
 haruspicum interpretatio: *parari rerum humanarum
 aliud caput: sed non fore validum, neque occultum;
 quia non in utero repressum, at iter juxta edi-
 tum sit.*



AN. U. C. DCCXXVIII. ÆR. CHR. 65.

*Conjuratio in Neronem inita & prodita, duce ipſo
C. Pisonis. Multi inſtrium interempti, quos
inter Lucanus & Seneca.*

XLVIII. Ineunt deinde consulatum Silius Nerva, & Atticus Vestinus, cœpta simul & aucta conjuratione, in quam certatim nomina dederant senatores, eques, miles, feminæ etiam, cum odio Neronis, tum favore in C. Pisonem. Is Calpurnio genere ortus, ac multas insignesque familias paterna nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat, per virtutem; aut species virtutibus similes. Namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversus amicos; & ignotis quoque communi sermone & congressu. Aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies: sed procul gravitas morum, aut voluptatum parcimonia: lenitati ac magnificentiæ, & aliquando luxui indulgebat. Idque pluribus probabatur, qui, in tanta vitiorum dulcedine, summum imperium non restrictum, nec perseverum volunt.

XLIX. Initium conjurationis non a cupidine ipsius fuit: nec tamen facile memoraverim, quis primus auctor, cujus instinctu concitum sit, quod

im multi sumpserunt. Promptissimos Subrium Flavianum, tribunum prætoris cohortis, & Sulpicium Asprum, centurionem, exstitisse, constantia exis-
 as docuit. Et Lucanus Annæus, Plautiusque La-
 eranus, consul designatus, vivida odia intulere.
 Lucanum propriæ causæ accendebant, quod famam
 arminum ejus premebat Nero, prohibueratque ostendi-
 are, vanus adsimulatione (78). Lateranum, con-
 ulem designatum, nulla injuria, sed amor reipub-
 licæ sociavit, At Flavius Scevinus, & Afranius
 Quintianus, uterque senatorii ordinis, contra fa-
 nam suâ, principium tanti facinoris capessivere.
 Nam Scevino dissoluta luxu mens, & proinde vita
 somno languida. Quintianus, mollitia corporis in-
 famis, & a Nerone probroso carmine diffamatus,
 contumelias ultum ibat.

L. Ergo, dum *scolera Principis, & finem ad-*
esse imperii, deligendumque qui fessis rebus suc-
curreret, inter se aut inter amicos jaciunt, ag-
 gregavere Tullium Senecionem, Cervarium Procu-
 lum, Vulcatium Araricum, Julium Tugurinum,
 Munatium Gratum, Antonium Natalem, Martium
 Festum, equites Romanos: ex quibus Senecio, e
 præcipua familiaritate Neronis, speciem amicitis
 etiam tum retinens, eo pluribus periculis conflicta-
 batur. Natalis particeps ad omne secretum Pisonis
 erat. Ceteris spes ex novis rebus petebatur. Ad-

scitæ sunt, super Subrium & Sulpicium, de quibus retuli, militares manus, Granius Silvanus & Staius Proximus, tribuni cohortium prætoriarum, Maximus Scaurus & Venetus Paulus, centuriones. Sed summum robur in Fenio Rufo, præfecto, videbatur: quem vita famaue laudatum, per *sævitiam* impudicitiamque Tigellinus in animo Principis anteibat, fatigabatque criminationibus, ac sæpe in metum adduxerat, quasi *adulterum Agrippinae*, & *desiderio ejus ultioni intentum*. Igitur ubi conjuratis, præfectum quoque prætorii in partes descendisse, crebro ipsius sermone facta fides; promptius jam de tempore ac loco cædis agitabant. Ex cepisse impetum Subrius Flavius ferebatur, *in scena cænentem Neronem aggrediendi, aut cum, ardente domo (79), per noctem huc illuc cursaret incustoditus*. Hic occasio solitudinis; ibi ipsa frequentia, tanti decoris testis, pulcherrimum animum extimulaverant: nisi impunitatis cupido retinisset, magnis semper conatibus adversa.

LI. Interim cunctantibus prolatantibusque spem ac metum (§0), Epicharis quædam, incertum quonam modo sciscitata, (neque illi ante ulla rerum honestarum cura fuerat) accendere, & arguere conjuratos: ac postremo lentitudinis eorum pertæsa, & in Campania agens primores Classiariorum Misensium labefacere, & conscientia inligare con-

nixa est, tali initio. Erat Chiliarchus in ea classe Volusius Proculus, occidendæ matris Neronis inter ministros, non ex magnitudine sceleris proventus, it rebatur. Is mulieri cognitus, seu resens orta amicitia, dum *merita erga Neronem sua; & quam in irritum cecidissent*, aperit, adjicitque questus, & *destinationem vindictæ, si facultas oriretur*, spem dedit, posse impelli & plures conciliare: *nec leve auxilium in classe; crebras occasiones*, quia Nero multo apud Puteolos & Misenum maris usu lætabatur. Ergo Epicharis plura: & omnia scelera Principis orditur: *Neque senatui quid manere (81), sed provisum, quonam modo pœnas eversæ republicæ daret: accingeretur modo navare operam, & militem acerrimos ducere in partes, ac digna prætia anspeßaret*. Nomina tamen conjuratorum reticuit. Unde Proculi indicium irritum fuit, quamvis ea, quæ audierat, ad Neronem detulisset. Accita quippe Epicharis, & cum indice composita, nullis testibus innixum facile confutavit. Sed ipsa in custodia retenta est, suspectante Nerone, haud falsa esse, etiam quæ vera non probabantur.

LII. Conjuratis tamen metu prodicionis permotis, placitum maturare cædem apud Bajas, in villa Pisonis: cujus amœnitate captus Cæsar crebro ventitabat, balneasque & epulas inibat, omissis excubiis, & fortunæ suæ mole. Sed abnuvit Piso invi-

diam præcedens, si sacra mensæ diique hospites cæde qualiscumque Principis cruentarentur. Melius apud Urbem in illa inuisa & spoliis cruentæ enstructa domo, vel in publico patraturos, qui pro republica suscepissent. Hæc in commune: ceterum timore occulto, ne L. Silanus (82), eximi nobilitate, disciplinaque C. Cassii, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus, imperium invaderet, promptè daturis operam, qui a conjuratione integri essent, qui que miserarentur Nerone, tamquam per scelus interfectum. Plerique Vestini quoque consulis acre ingenium vitavisse Pisonem crediderunt, ne ad libertatem moveretur, vel delecto Imperatore alio, sui muneris republicam faceret. Etenim expertus conjurationis erat; quamvis super eo crimine Nero vetus adversus insontem odium expleverit.

LIII. Tandem statuere, Circensium ludorum die, qui Cereri celebratur, exsequi destinata: quia Cæsar, rarus egressu, domoque aut hortis clausus, ad ludicra Circi ventitabat; promptioresque aditus erant lætitia spectaculi. Ordinem insidiis composuerant, ut Lateranus quasi subsidium rei familiaris oraret, deprecabundus & genibus Principi accidens, prosterneret incautum premeretque, animi validus, & corpore ingens. Tum jacentem & impeditum, tribuni & centuriones, & ceterorum

t quisque audentia habuisset, accurrerant, tyridarentque: primas sibi partes expostulante Sceino, qui pugionem, templo Salutis in Etruria, ive, ut alii tradidere, Fortunæ Ferentino in opido detraxerat, gestabatque velut magno operi sarum. Interim Piso apud adem Cereris opperiretur, unde cum præfectus Fenius & ceteri accitum ferrent in castra, comitante Antonia, Claudii Cæsaris filia, ad eliciendum vulgè favorem: quod C. Plinius memorat. Nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit, quamvis absurdum videtur, aut inanem ad spem Antoniam nomen & periculum commodavisse, aut Pisonem, notum amore uxoris, alii matrimonio se obstrinxisse: nisi si cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior est.

LIV. Sed mirum, quam inter diversi generis, ordinis, ætatis, sexûs, ditēs, pauperes, taciturnitate omnia cohibita sint; donec præditio cœpit a domo Scevini: qui pridie insidiarum, multo sermone cum Antonio Natale, dein regressus domum, testamentum obsignavit: promptum vagina pugionem, de quo supra retuli, *vetustate obtusum increpans, asperari saxo, & in mucronem ardescere jussit. Eamque curam liberto Milicho mandavit. Simul adfluentius solito convivium initum: servorum carissimi libertate, & alii pecuniâ donati: atque ipse mœstus, & magnæ cogitationis manifestus*

erat, quamvis lætitiã vagis sermonibus simularet. Postremo *valneribus ligamenta, quibusque sistitur sanguis, parare eundem Milichum monet*; sive gnarum conjurationis, & illuc usque fidum, se nescium, & tunc primum arreptis suspicionibus, plerique tradidere, de consequentibus (83). Nam cum secum servilis animus præmia perfidiæ repavit, simulque immensa pecunia & potentia obversabantur, cessit fas, & salus patroni, & acceptæ libertatis memoria. Etenim uxoris quoque consilium adumpserat, muliebri ac deterius: quippe ultro metum intentabat, *multosque adstitisse libertos ac servos, qui eadem viderint: nihil profuturum unius silentium: at præmia penes unum fore, qui indicio prævenisset.*

LV. Igitur, cœpta luce, Milichus in hortos Servilianos pergit; & cum foribus arceretur, *magna & atrocia adferre dictitans, deductusque ab janitoribus ad libertum Neronis, Epaphroditum (84), mox ab eo ad Neronem, urgens periculum, graves conjurationes, & cetera, quæ audierat, conjectaveratque, docet. Telum quoque in necem ejus paratum ostendit, accirique reum jussit. Is raptus per milites, & defensionem orsus, Ferrum, cujus argueretur, olim religione patria cultum, & in cubiculo habitum, ac fraude liberti subreptum respondit. Tabulas testamenti sæpius a se, & in-*

custodita dierum observatione ; signatas. Pecunias
 & libertates servis & ante dono datas : sed ideo
 nec largius , quia tenui jam re familiari , & in-
 tantibus creditoribus , testamento diffideret. Enim-
 vero liberalis semper epulas struxisse , & vitam
 mœnam , & duris iudiciis parum probatam. Fo-
 rentia vulneribus nulla jussu suo ; sed quia cetera
 alam vana objecisset , adjungere crimen , cujas se
 ariter indicem & testem faceret (85). Adjicit di-
 tis constantiam : incusat ultro intestabilem & con-
 celeratum , tanta vocis ac vultus securitate , ut la-
 aret indicium , nisi Milichum uxor admonuisset ,
 Antonium Natalem multa cum Scevino , ac secreta
 collocutum , & esse utrosque C. Pisonis intimos .

LVI. Ergo accitur Natalis ; & diversi interro-
 gantur , quisnam is sermo , qua de te fuisset ? cum
 exorta suspicio , quia non congruentia responde-
 rant ; inditaque vincla . Et tormentorum , aspectum
 ac minas non tulere . Prior tamen Natalis , totius
 conjurationis magis gnarus , simul arguendi peri-
 tior (86) , de Pisonis primum fatetur . Deinde ad-
 dit Annæum Senecam , sive internuntius inter eum
 Pisonemque fuit , sive ut Neronis gratiam pararet ,
 qui insensus Senecæ ; omnes ad eum opprimendum
 artes conquirebat . Tum , cognito Natalis indicio ,
 Scevinus quoque pari imbecillitate , an cuncta jam
 patefacta credens , nec ullum silentii emolumen-

tum, edidit ceteros: ex quibus Lucanus, Quintianusque, & Senecio diu abnuere. Post, promissa impunitate corrupti, quo tarditatem excusarent, Lucanus Aciliam, matrem suam, Quintianus Glicium Gallum, Senecio Animum Pollionem, amicorum præcipuos, nominavere.

LVII. Atque interim Nero, recordatus Volusii Proculi indicio Epicharum attineri, ratusque muliebri corpore impar dolori, *tormentis dilacerari* jubet. At illam non verbera, non ignes, non in eo acius torquentium, ne a femina spernerentur, pervicere, quin objecta denegaret. Sic primus quaestionis dies contemptus. Postero cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellæ, (nam dissolutis membris insistere nequibat) vinclo fasciæ, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellæ restricto, indidit cervicem, & corporis pondere connisa, tenuem jam spiritum expressit: clariore exemplo libertina mulier, in tanta necessitate, alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui, & viri, & equites Romani, senatoresque, intacti tormentis, carissima suorum quisque pignorum proderent. Non enim omittebant Lucanus quoque, & Senecio, & Quintianus passim conscios edere, magis magisque pavido Nerone, quamquam multiplicatis excubiis semet sepsisset.

LVIII. Quin & Urbem, per manipulos occu-

atis mœnibus, in sesso etiam mari & amne, velut
 i custodiam dedit. Visitabantque per forâ, per
 omos, rura quoque & proxima municipiorum, pe-
 ites equitesque permixti Germanis, quibus fidebat
 'rinceps, quasi externis. Continua hinc & juncta
 gmina trahi, ac foribus hortorum adiacere. Atque
 ibi dicendam ad causam introissent, *letatum erga
 onjuratos* (87), *si fortuitus sermo, & subito oc-
 cursus, si convivium, si spectaculum simul inis-
 sent* pro crimine accipi: cum super Neronis ac Ti-
 gellini sævas percunctationes, Fenius quoque Ru-
 fus violenter ungeret, nondum ab iudicibus nomi-
 natus, sed quo fidem in scitio pararet, atrox ad-
 versus socios. Idem Subrio Flavio adstanti, in-
 nuentique, an inter ipsam cognitionem distringe-
 ret gladium, eademque patraret, renuit; Infregit-
 que impetum jam manant ad capulum referentis.

LIX. Fugere, qui prodita conjuratione, dum au-
 ditur Milichus, dum habitat Sævinus, hortarentur
 Pisonem, *pergere in castra, aut rostra ascendere,
 studiaque militum & populi tentare: si conatibus
 ejus consensu aggregarentur, secuturus etiam integros;
 magnamque motæ rei famam, que plurimum in no-
 vis consiliis valeret. Nihil adversum hoc Neroni
 provisum: etiam fortes viros subitis terri; ne-
 dum ille scenicus, Tigellino scilicet cum pellicibus
 suis comitante, arma contra ciceret. Multa exp-*

riando confiteri, quæ seignibus ardua videantur. Frustra silentium & fidem in tot consciorum animi & corporibus sperari. Cruciatus (88), aut pœnio, cuncta pervia esse. Venturos, qui ipsum quoque vincirent, postremo indigna nece adficerent. Quanto laudabilius periturum, dum amplectitur rempublicam; dum auxilia libertati invocat? Miki potius deesset (89), & plebes desereres, dum ipse majoribus; dum posteris; si vita prærisperetur, mortem approbaret? Immotus his, & paululum in publico versatus, post domi secretus, animum adversum supræmâ firmabat, donec manus militum adveniret, quos Nero tirones, aut stipendiis recentes, delegerat. Nam vetus miles timebatur, tamquam favore imbutus. Obiit; abruptis brachiorum venis. Testamentum fœdis adversus Neronem adulationibus, amoris uxoris dedit, quam degenerem & sola corporis forma commendatam, amici matrimonio abstulerat. Nomen mulieris, Arria Galla; priori marito, Domitius Silius: hic patientiâ, illa impudiciâ, Pisonis infamiam propagavere.

LX. Proximam necem Plautii Laterani, consulis designati, Nero adjungit, adeo propere, ut non completti liberos, non illud breve mortis arbitrium (90) permitteret. Raptus in locum, servilibus pœnis sepositum, manu Stati, tribuni, trucidatur, plenus constantis silentii, nec tributo ob-

jciens eandem conscientiam. Sequitur cædes An-
 næi Senecæ, lætissima Principi; non quia conju-
 rationis manifestum compererat, sed ut ferro gras-
 saretur, quando venenum non processerat. Solus
 quippe Natalis, & hastenus prompsit: *missum se*
ad egrotum Senecam, uti viseret, conquereretur-
que, cur Pisonem aditu arceret? melius fore, si
amicitiam familiari congressu exeruissent. Et res-
 pondisse Senecam: *sermone mutuos, & crebra*
colloquia neutri conducere: ceterum salutem suam
incolumitate Pisonis inniti. Hæc ferre Granus Sil-
 vanus, tribunus prætoricæ cohortis (97), &, *an di-*
cta Natalis, suaque responsa nosceret, percunctari
 Senecam jubetur. Is, forte, an prudens, ad eum
 diem ex Campania remeaverat, quartumque apud
 lapidem, suburbano rure, substiterat. Illud, propin-
 qua vespéra, tribunus venit, & villam globis mi-
 litum sepsit. Tum ipsi, cum Pompeja Paullina uxore
 & amicis duobus epulanti, mandata Imperatoris edidit.
 LXI. Seneca, *missum ad se Natalem, conque-*
stumque nomine Pisonis, quod a visendo eo probi-
bueretur, sequè rationem valetudinis & amorem
quærit excusavisse, respondit. *Cur salutem pri-*
vati hominis incolumitati suæ anteferret, causam
non habuisse: nec sibi promptum in adulationes in-
genium. Idque nulli magis gnarum, quam Neroni,
 qui sapius libertatem Senecæ, quam servitium ex-

peritus esset. Ubi hæc a tribuno relata sunt, Poppæ & Tigellino coram, quod erat sævienti Principi intimum consiliorum, interrogat, an Seneca voluntariam mortem pararet? Tum tribunus, nulla peroris signa, nihil triste in verbis ejus, aut cultu deprehensum confirmavit. Ergo regredi, & inde cetera mortem jubetur. Tradit Fabius Rusticus, non eo, quo venerat, itinere reditum, sed flexisse ad Fanium præfectum, & expositis Caesaris jussis, an obtemperaret, interrogavisse: monitumque a eo, ut eusequeretur; fatali omnium ignavia. Nam & Silvanus inter conjuratos erat, augebatque scelera, in quorum ultionem consenserat. Vocis tamen & aspectui pepercit: intrömisitque ad Senecam unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denuntiaret.

LXII. Ille intrepidus poscit testamenti tabulas: ac denegante centurione, conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum jam, & tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitæ suæ relinquere testatur: cujus si memores essent bonarum artium, famam tam constantis amicitia laturos. Simul lacrymas eorum, modo sermone, modo intentior in modum coercentis, ad firmitudinem revocat, rogans: *Ubi præcepta sapientiæ? ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentiâ? Cui enim ignavam fuisse se-*

vitiam Neronis? Neque aliud superasse post matrem, fratremque interfectos, quam ut. educatoris præceptorisque necem adjiceret.

LXIII. Ubi hæc atque talia in communi disse-
ruit, complectitur uxorem; & paululum adversus
præsentem formidinem mollitus (92), rogat oratque;
temperaret dolorem, ne æternum susciperet (93);
sed in contemplatione vitæ, per virtutem actæ, de-
siderium mariti solatiis honestis toleraret. Illa con-
tra, sibi quoque destinatam mortem adseverat, ma-
namque percussoris exposcit. Tum Seneca, gloriæ
ejus non adversus, simul amore, ne sibi unice di-
lectam ad injurias relinqueret: *Vitæ, inquit, deli-*
neamenta monstraveram tibi, tu mortis decus ma-
vis, non invidēbo exemplo. Sit hujus tam fortis exi-
tus constantia penes utrosque par, claritudinis plus
in tuo: sine. Post quæ, eodem ictu, brachia ferro
exsolvant. Seneca, quoniam senile corpus, & par-
eo victu tenuatum, lenta effugia sanguini præbe-
bat, crurum quoque & poplitum venas abrupit;
sævisque cruciatibus defessus, ne dolore suo ani-
mum uxoris infringeret, atque ipse visendo ejus
tormenta, ad impatientiam delaberetur, suadet *in*
aliud cubiculum abscedere. Et novissimo quoque mo-
mento suppeditante eloquentia, advocatis scriptori-
bus, pleraque tradidit, quæ, in vulgus edita ejus
verbis, invertere supersedeo.

LXIV. At Nero, nullo in Paullinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, *inbibere mortem* imperat (94). Hortantibus militibus, servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignaræ. Nam, ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, *donec implacabilem Neronem timuerit, famam societæ cum marito mortis petivisse: deinde, oblati mitiore spe, blandimentis vitæ evictam: cui addidit paucos postea annos, laudabili in maritum memoria, & ore ac membris in eum pallorem albertibus, ut ostentui esset, multum vitalis spiritus egestum. Seneca interim, durante tractu, & lenitudine mortis, Statium Annæum, diu sibi amicitiae fide & arte medicinæ probatum, orat prorsum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium judicio extinguerentur, promeret: allatumque hausit frustra, frigidus jam artus & cluso corpore (95) adversum vim veneni. Postremo stagnum calidæ aquæ introiit, respergens proximos servorum, addita voce, *Libare se liquorem illum JOVI LIBERATORI: Exin balneo inlatus, & vapore ejus exanimatus, sine ullo funeris sollemni crematur. Ita codicillis præscripserat, cum etiam tum prædives & præpotens, supremis suis consuleret.**

LXV. Fama fuit, Subrium Flavium cum cea-

rationibus occulto consilio, neque tamen ignorante Seneca, destinaviste, ut post occisam opera Pisonis Neronem, Piso quoque interficeretur, tradere-
 utque imperium Senecæ, quasi, insonti claritudi-
 ne virtutum, ad summum fastigium delecto. Quin-
 et verba Flavii vulgabantur, Non referre dedeco-
 ri (96), si citharædus demoveretur, & tragicædus
 succederet: quia, ut Nero cithara, ita Piso tragico
 ornatu canebat.

LXVI. Ceterum militaris quoque conspiratio non ultra fefellit, accensis indicibus ad prodendum Fenium Rufum, quem, eundem conscium & in-
 quisitorem, non tolerabant. Ergo instanti minitan-
 tique renidens Scevinus, neminem, ait, plura scire
 quam ipsum: hortaturque ultro, redderet tam bono
 Principi vicem. Non vox adversum eam Fenio, non
 silentium; sed verba sua præpediens, & pavoris
 manifestus, ceterisque, ac maxime Cervario Pro-
 culo, equite, ad convincendum eum conmissis, jussu
 Imperatoris a Cassio milite, qui ob insigne corpo-
 ris robur adstabat, corripitur, vinciturque.

LXVII. Mox eorundem indicio Subrius Flavius,
 tribunus, pervertitur, primo dissimilitudinem morum
 ad defensionem trahens, neque se armatum cum
 inermibus & effeminatis tantum facinus consocia-
 turum. Dein postquam urgebatur, confessionis glo-
 riam amplexus, interrogatusque a Nerone, quibus

cansis ad oblivionem sacramenti processisset : *Quam te, inquit, nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti: odisse cœpi, postquam parricida matris, & uxoris, & auriga, & bistria, & incendiarius existitisti.* Ipsa senili verba, quia ut Senecæ, vulgata erant: nec minus nosci decem militaris viri sensus incomptos & validos. Nihil illa conjuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit, qui ut faciendis sceleribus promptus, in audiendi, quæ facerät, insolens erat. Pœna Flavio Vejano Nigro, tribuno, mandatur. Is proximo in agro scrobem offodi jussit, quam Flavius ut humilem & angustam increpans, circumstantibus militibus, *Ne hoc quidem, inquit, ex disciplina: admonitusque fortiter protendere cervicem: Utinam, ait, tu tam fortiter ferias.* Et ille multum tremens, cum vix duobus ictibus caput amputavisset, sævitiam apud Neronem jactavit, *sesquiplaga interfectum a se dicendo.*

LXVIII. Proximum constantiæ exemplum Sulpicius Asper, centurio, præbuit: percunctanti Neroni, *cur in cadem suam conspiravisset?* breviter respondens: *Non aliter tot flagitiis ejus subveniri potuisse.* Tum jussam pœnam subiit. Nec ceteri centuriones in perpetiendis suppliciis degeneraverunt. At non Fenio Ruse par animus, sed lamentationes suas etiam in testamentum contulit. Opperiebatur

ro, ut Vestinus quoque consul in crimen traheretur, violentum & infensum ratus: sed ex conjunctis consilia cum Vestino non miscuerant, quidam, iustis in eum similitudinibus, plures, quia præcipua & insociabilem credebant. Ceterum Neronis um adversus Vestium ex intima sodalitate coërat, dum hic ignaviam Principis penitus cognoscere despicit, ille ferociam amici metuit, sæpe asperis faectiis inlusus; quæ ubi multum ex vero trahere, acrem sui memoriam relinquunt. Accesserit repens causa, quod Vestinus Statilium Messalinum (97) matrimonio sibi junxerat, haud nescius, inter adulteros ejus & Cæsarem esse.

LXIX. Igitur non crimine, non accusatore existente, quia speciem judicis induere non poterat, sed vim dominationis conversus, Gerellianum tribunum cum cohorte militum immittit: jubetque *prævenire conatus consulis, occupare velut arcem ejus, opprimere delectam juventutem*, quia Vestinus imminentes foro ædes, decoraque servitia & paritate habebat. Cuncta eo die munia consulis impleverat, conviviumque celebrabat, nihil metuens, an dissimulando metu, cum ingressi milites *vocari eum a tribuno* dixerent. Ille, nihil demoratus, exsurgit: & omnia simul properantur; clauditur cubiculo; præsto est medicus; abscinduntur venæ; viægens adhuc balneo infertur; calida aqua morsatur,

nulla edita voce, qua semet miseraretur. Circumdati interim custodia, qui simul discubuerant, nisi profecta nocte, omisi sunt (98), postquam pavorem eorum, ex mensa exitium opperientium, & imaginatus & iridens Nero, *satis supplicii fuisse ait, pro epulis consularibus.*

LXX. Exin M. Annæi Lucani cædem imperatoris, profuente sanguine, ubi frigescere pedes manusque, & paullatim ab extremis cedere spiritum fervido adhuc & compote mentis pectore, intelligit, recordatus carmen a se compositum, quo vulneratum militem per ejusmodi mortis imaginem obisse tradiderat, versus ipsos retulit; eaque illi suprema vox fuit: Senecio posthac, & Quintianus, & Scevinus, non ex prioræ vitæ mollitia, mox reliqui conjuratorum periere, nullo facto dictore memorando.

LXXI. Sed compleri interim Urbs funeribus, Capitolium victimis: alius filio, fratre alius, aut propinquo, aut amico interfectis, agere grates deis, ornare lauru domum, genua ipsius advolvi, & dextram osculis fatigare. Atque ille gaudium id credens, Antonii Natalis & Cærvarii Proculi festinata indicia impunitate remuneratur: Milichus, præmiis ditatus, *Conservatoris* sibi nomen, Græco ejus rei vocabulo (99), adsumpsit. E tribunis Granius Silvanus, quamvis absolutus, sua manu cecidit:

dit:

Staius Proximus veniam, quam ab Imperato-
 acceperat, vanitate exitus (100) corrupit. Exuti
 hinc tribunatu Pompejus, Cornelius Martialis,
 avius Nepos, Staius Domitius; *quasi Principi-*
um non quidem odissent, sed tamen existimaren-
ter (101). Novio Prisco per amicitiam, Senecæ,
 Glitio Gallo, atque Annio Pollioni, infamatis
 magis, quam convictis, data exsilia. Priscum An-
 onia Flaccilla conjunx comitata est; Gallum Egna-
 ia Maximilla, magnis primum & integris opibus,
 post ademptis: quæ utraque gloriam ejus auxere.
 Pellitur & Rufius Crispinus occasione conjuratio-
 nis, sed Neroni invisus, quod Poppæam quondam
 matrimonio tenuerat. Verginium & Rufum clari-
 tudo nominis expulit. Nam Verginius studia juve-
 num eloquentia, Musonius præceptis sapientiæ fo-
 vebat. Cluvidiæno Quietio, Julio Agrippæ, Blitio
 Catulino, Petronio Prisco, Julio Altino, velut in
 agmen & numerum, Ægei maris insulæ permit-
 tuntur. At Cadicia, uxor Scevini, & Cæsonius
 Maximus Italia prohibentur, reos fuisse se, tantum
 pœna experti. Acilia, mater Annæi Lucani, sine
 absoluteione, sine supplicio, dissimulata.

LXXII. Quibus perpetratis Nero, & concione
 militum habita, bina nummum millia (102) viritum
 manipularibus divisit; addiditque sine pretio fru-
 mentum, quo ante ex modo annonæ utebantur.

Tum, quasi gesta bello expositurus, vocat senatum, & triumphale decus Petronio Turpiliano, consulari, Coccejo Nervæ, prætori designato, Tigellino, præfecto prætorii, tribuit; Tigellinum & Nervam ita extollens, ut, super triumphales in fine imagines, apud palatium quoque effigies eorum esset: consularia insignia Nymphidio, de quo, quæ nunc primum oblatu est, pauca repetam: nam & ipse pars Romanarum cladum erit. Igitur matre libertina ortus, quæ corpus decorum inter servos libertosque Principum vulgaverat, ex C. Cæsare se genitum ferebat, quoniam, forte quadam, habitu procerus, & torvo vultu erat: sive C. Cæsar, scortorum quoque cupiens, etiam matri ejus inlucit.

LXXIII. Sed Nero, vocato senatu, oratione inter patres habita, edictum apud populum, & collata in libros indicia, confessionesque damnatorum adjunxit. Etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, *tamquam viros insontes* (103), *ob invidiam, aut metum, extinxisset*. Ceterum cœptam, adultamque, & revictam, conjurationem neque tunc dubitare, quibus verum noscendi cura erat, & faterentur, qui post interitum Neronis in Urbem regressi sunt. At in senatu cunctis, ut cuique plurimum mæroris, in adulacionem demissis, Junium Gallionem, Senecæ fratris morte pavidum, & pro

sua incolumitate supplicem, increpuit Salienus Clemen-
 mens, *hostem & parricidam* vocans: donec con-
 sensu patrum deterritus est, *ne publicis malis abuti*
ad occasionem privati odii videretur, neu composita
& oblitterata mansuetudine Principis, novam ad
sævitiã retraheret.

Decreta dona & grates diis. Mensis Aprilis
Neronis cognomentum accipit.

LXXIV. Tum decreta (104) dona, & grates
 deis, propriusque bonos Soli, cui est vetus ædes
 apud Circum, in quo facinus parabatur, qui oc-
 culta conjurationis numine retexisset: utque Circen-
 sium Cerealium ludicrum pluribus equorum cursi-
 bus celebraretur: mensis quoque Aprilis Neronis
 cognomentum acciperet: templum Saluti exstrueretur,
 eo loci, ex quo Scevinus ferrum prompserat.
 Ipse eum pugionem apud Capitolium sacravit, in-
 scriptione Jovi VINDICI. In præsens haud ani-
 madversum; post arma Julii Vindicis ad auspici-
 um & præsagium futuræ ultionis trahebatur. Reperio
 in commentariis senatus, Cerialem Anicium, con-
 sulem designatum, pro sententia dixisse, *ut tem-*
plum divo Neroni quam maturrime publica pecu-
nia poneretur. Quod quidem ille decernebat, tam-
 quam mortale fastigium egresso, & venerationem

deum (105) merito: quod ad omina solum
exitus verteretur (106). Nam deum honor
cipi non ante habetur, quam agere inter homines
desierit.



B R E V I A R I U M .

LIBRI DECIMI SEXTI.

I. Neroni inludit fortuna per Cesellium Bassum, qui thesauros in Africa se reperisse temere credit. III. Gliscit luxuria spe inani. IV. Lurale certamen, in quo cantat Nero, magna auctorum molestia, & Vespasiani periculo. VI. Poppea mortem obit: corpus ejus differtum odoribus inditur: ductæ tamen publicæ exsequiæ. VII. Cassius, L. Silanus in exsilium pulsi. Lepida Principis judicio permissa. X. L. Vetus, Sextia & Polutia necem subiere. XII. Mutata mensium nomina. XIII. Tempestates & morbi. XIV. Antejus & Istorius ad mortem aguntur. XVII. Eodem agmine Annaeus Mela, Cerialis Anicius, Rufus Crispinus, C. Petronius cecidere. XX. Siliæ exsilium. XXI. Nerone virtutis ipsius excindendæ cupido, gravior criminationum moles in Thræseam Pætum & Bæream Soranum ingruit. Servilia, Sorani filia, patris discrimini connectitur. Interrita eorum constantia: iis datur mortis arbitrium. Accusatoribus Eprio, Cossutiano, & Ostorio Sabino tribuuntur præmia, Cetera temporum iniquitate periere. Vide Supplementum libri XVI. Annalium.

Gesta autem hæc

AN. U. C. ÆR. CHR.

DCCCXIX. 66. *Coss.*

C. SÜETONIO Paulino
C. LUCIO Telesino.





*Neroni inludit fortuna per Cesellium Bassum,
qui thesauros in Africa se reperisse temere
jactitat.*

INLUSIT dehinc Neroni fortuna, per vanitatem ipsius, & promissa (1) Cesellii Bassi; qui origine Pœnus, menta turbida, nocturnæ quietis imaginem ad spem haud dubiam retraxit; vêtusque Romam Principis aditum emergatus, expromit, *reperitum in agro suo specum altitudine immensa, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniæ, sed rudi & antiquo pondere: lateres quippe prægraves jacere, adstantibus parte alia columnis: quæ per tantum ævi occulta, augendis præsentibus bonis. Ceterum, ut conjectura demonstraret, Didonem Phœnissam, Tyro profugam, condita Cærtagine, illas opes abdidisse, ne novus populus nimis pecunia lasciviret: aut reges Numidarum, & alias infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur.*

II. Igitur Nero, non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectata, nec missis, per quos nosceret, an vera adferrentur, auget ultro rationem, mittitque, qui velut partam prædam aveherent (2).

Dantur triremes & delectum navigium (3), juvande festinationi, nec aliud per illos dies, populus credulitate, prudentes diversa fama, tulere (4). Ac iuste quinquennale ludicrum secundo lustro celebrabatur: a vatibus oratoribusque præcipua materia in laudem Principis adsumpta est: *Non enim tantus solitas fruges, nec metallis confusum aurum gigni, sed nova ubertate provenire terram, & obvias opes deferre deos: quæque alia summa facundia, nec minore adulatione, servilia fingeant, securi de facilitate credentis.*

Gliscit luxuria spe inani.

III. Gliscebat interim luxuria spe inani, consumebanturque veteres opes, quasi oblati, quas multos per annos prodigeret. Quin & inde jam largiebantur: & divitiarum expectatio inter causas paupertatis publicæ erat. Nam Bassus, effosso agro suo, latisque circum arvis, dum hunc vel illum locum promissi specus adseverat, sequunturque non modo milites, sed populus agrestium efficiendo operi adsumptus, tandem posita vecordia, *non falsa ante somnia sua, seque tunc primum elusum admirans, pudorem & metum morte voluntaria effugit. Quidam vincum, ac mox dimissum, tradidere, ademptis bonis in locum regie gazæ.*

lustrale certamen, in quo cantat Nero; magna auditorum molestia, & Vespasiani periculo.

IV. Interea senatus, propinquo jam lustrali certamine (5), ut dedecus averteret, offert Imperatori *victoriam cantus*, adjicitque *facundie coronam*, qua ludicra deformitas velaretur. Sed Nero, *nihil ambitu, nec potestate senatus opus esse licitans, se æquum adversus æmulos, & religione iudicum meritam laudem adsecuturum*, primo carmen in scena recitat: mox flagitante vulgo, *ut omnia studia sua publicaret*, (hæc enim verba dixere) ingreditur theatrum, cunctis citharæ legibus obtemperans: ne fessus resideret, ne sudorem, nisi ea, quam indutui gerebat, veste detergeret: ut nulla oris aut marium excrementa viserentur. Postremo flexus genu, & cœtum illum manu veneratus, sententias iudicum opperiebatur ficto pavore. Et plebs quidem Urbis, histrionum quoque gestus juvare solita, personabat certis modis, plausuque composito. Crederes lætari; ac fortasse lætabantur, per injuriam publici flagitii (6).

V. Sed qui remotis e municipiis, severamque adhuc & antiqui moris retinentes Italiam (7), quique per longas provincias, lasciviæ inexperti, offi-

cio legationum, aut privata utilitate advenerant, neque aspectum illum tolerare, neque labori inonesto sufficere: cum manibus nesciis fatisceret, turbarent gnaros, ac sæpe a militibus verberantur, qui per cuneos stabant, ne quod temporis momentum impari clamore, aut silentio segni præteriret. Constitit, plerosque equitum, dum per angustias aditus & ingruentem multitudinem eniantur, obtritōs: & alios, dum diem noctemque sedilibus continuant, morbo exitiabili correptos: quippe gravior inerat metus, si spectaculo defuissent; multis palam, & pluribus occultis (8), ut nomina ac vultus, alacritatem, tristitiamque coeuntium scrutarentur. Unde tenuioribus statim inrogata supplicia: adversus illustres dissimulatum ad præsens, & mox redditum odium. Ferebantque *Vespasianum*, tamquam somno conuideret, a *Pbebo* liberto increpitum, ægreque meliorum precibus obiectum: non imminentem perniciem majore fato effugisse.

Poppæa mortem obit: corpus ejus differtum odoribus conditur: ducta tamen publice exsequia.

VI. Post finem ludicri *Poppæa* mortem obiit, fortuita mariti iracundia, a quo gravida ictu calcis afflicta est. Neque enim venenum crediderim,

amvis quidam scriptores tradant, odio magis, iam ex fide. Quippe liberorum cupiens, & am uxoris obnoxius erat. Corpus non igni abolutum, : Romanus mos; sed regum externorum consue- rdine, differtum odoribus conditur, tumuloque Ju- orum infertur. Ductæ tamen publicæ exsequiæ, audavitque ipse apud rostra *formam ejus, & quod livinæ infantis parens* (9) fuisset, aliaque fortunæ munera pro virtutibus.

C. Cassius, L. Silanus in exilium pulsi. Lepida Principis judicio permissa.

VII. Mortem Poppææ, ut palam tristem, ita recordantibus lætam (10), ob impudicitiam ejus sæ- vitiamque, nova insuper invidia Nero complevit, prohibendo C. Cassium (11) officio exsequiarum: quod primum indicium mali, neque in longum di- latum est. Sed Silanus additur: nullo crimine, nisi quod Cassius opibus vetustis, & gravitate morum, Silanus claritudine generis, & modesta juvena, præcellebant. Igitur missa ad senatum oratione, *re- movendos a republica utrosque* disseruit. Objecta- vitque Cassio, *quod inter imagines majorum, et- iam C. Cassii* (12) *effigiem coluisset, ita inscri- ptam: DVCI PARTIVM. Quippe semina belli civi- lis, & defectionem a domo Cæsarum quasitam.*

Ac ne memoria tantum (13) infensi nominis et discordias uteretur, adsumpsisse L. Silanum, juvenem genere nobilem, animo præruptum (14), quem novis rebus ostentaret.

VIII. Ipsum dehinc Silanum increpuit iisdem, quibus patrum ejus (15) Torquatum, *tamquam disponeret jam imperii curas, præficeretque rationibus, & libellis, & epistolis libertos; inania simul & falsa.* Nam Silanus intentior metu, & exitio patris ad præcavendum exterritus erat. Inducit posthac, vocabulo indicum, qui in Lepidam, Cassii uxorem, Silani amitam (16), *incestum cum fratris filio, & diros sacrorum ritus confingerent.* Trahebantur, ut conscii, Vulcatius Tullinus, ac Marcellus Cornelius, senatores, & Calpurnius Fabatus (17), eques Romanus: qui, appellato Principe, instantem damnationem frustrati, mox Nerone, circa summa scelera distentum, quasi minores evasere.

IX. Tunc consulto senatus, *Cassio & Silano exsilia decernuntur; de Lepida Cæsar statueret.* Deportatusque in insulam Sardiniam Cassius, & senectus ejus exspectabatur (18). Silanus, tamquam Naxum deveheretur, Ostiam amotus; post municipio Apuliæ, cui nomen est Banium, clauditur. Illic indignissimum casum sapienter tolerans, a censure, ad cædem misso, corripitur: suadentique

enas abrumpere, animum quidem morti destinatum, ait, sed non permittere percussori gloriam ministerii. At centurio, quamvis inermem, prævalium tamen, & iræ quam timori propiorem cernens, premissi a militibus jubet. Nec omisit Silanus obniti, & intendere ictus, quantum manibus nudis valebat, donec a centurione vulneribus adversis, tamquam in pugna; caderet.

L. Vetus, Sextia & Pollutia necem subiere.

X. Haud minus prompte L. Vetus, socrusque ejus Sextia, & Pollutia filia (19), necem subiere: invidiosi Principi, tamquam vivendo exprobrarent, interfectum esse Rubellium Plautum, generum Lucii Veteris. Sed initium detegendæ sævitæ præbuit, interversis patroni rebus, ad accusandum transgrediens (20) Fortunatus libertus, adscito Claudio Demiano, quem ob flagitia vincitum a Vetere, Asiæ proconsule, exsolvit Nero, in præmium accusationis. Quod ubi cognitum reo, seque & libertum pari sorte componi, Formianos in agros digreditur. Illic eum milites occulta custodia circumdant. Aderat filia, super ingruens periculum, longo dolore atrox, ex quo percussores Plauti mariti sui viderat: cruentamque cervicem ejus amplexa, servabat sanguinem, & vestes respersas; vidua, im-

plexa luctu continuo, nec ullis alimentis (21), nisi quæ mortem arcerent. Tum, hortante patre, Neapolim pergit. Et quia aditu Neronis prohibebatur, egressus obsidens, *audiret insontem, neve consulatus sui quondam collegam dederet liberto*, modicum muliebri ejulatu, aliquando, sexum egressa, vociferans infensa, clamitabat; donec Princeps immobilem se precibus & invidiæ juxta ostendit.

XI. Ergo nuntiat patri, *abjicere spem, & uti necessitate*. Simul adfertur, *parari cognitionem senatus, & trucem sententiam*. Nec defuere, qui *monerent, magna ex parte heredem Cæsarem nuncupare, atque ita nepotibus de reliquo consulere: quod aspernatus, ne vitam, proxime libertatem actam, novissimo servitio foedaret, largitur in seruos, quantum aderat pecuniæ: & si qua asportari possent, sibi quemque deducere, tres modo lectulos ad suprema retineri jubet*. Tunc eodem in cubiculo, eodem ferro abscindunt venas, properique, & singulis vestibus ad verecundiam velati, balneis inferuntur: pater filiam, avia neptem, illa utrosque intuens, & certatim precantes *labenti animæ celerem exitum, ut relinquerent suos superstites & morituros*. Servavitque ordinem fortuna: ac senior prius, tum cui prima ætas (22), exstinguuntur. Accusati post sepulturam; decretumque, *ut morte majorum punirentur* (23). Et Nero intercessit,

ortem sine arbitro permittens (24): ea, cædibus
 ractis, ludibria adjiciebantur.

Mutata mensium nomina.

XII. P. Gallus, eques Romanus, quod Feni-
 ufo intimus, & Veteri non alienus fuerat, aqua
 tque igni prohibitus est. Liberto & accusatori
 ræmium operæ, locus in theatro inter viatores tri-
 unicios datur. Et mensis, qui Aprilem, eum-
 lemque *Neroneum* sequebatur, *Majus Claudii*, Ju-
 nius *Germanici* vocabulis mutantur: testificante Cor-
 nelio Orphito, qui id censuerat, *ideo Junium men-
 sem transmissum* (25), quia duo jam *Torquati*, ob
scelera interfecti, *infaustum nomen Junium fecis-
 sent*.

Tempestates & morbi.

XIII. Tot facinoribus scædum animum etiam dii
 tempestatibus & morbis insignivere. Vastata Cam-
 pania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fru-
 ges passim disjecit; pertulitque violentiam ad vici-
 na Urbi: in qua omne mortalium genus vis pesti-
 lentiz depopulabatur, nulla cæli intemperie, quæ
 occurreret oculis. Sed domus corporibus exanimis,
 itinera funeribus complebantur. Non sexus, non

ætas periculo vacua. Servitia perinde & ingenuæ plebes raptim extingui, inter conjugum & liberorum lamenta; qui dum adsident, dum deflent, sæpe eodem rogo cremabantur. Equitum senatorumque interitus, quamvis promiscui, minus flebiles erant, tamquam communi mortalitate sævitiam Principis prævenirent. Eodem anno delectus per Galliam Narbonensem, Africamque & Asiam habitus, supplendis Illyrici legionibus, ex quibus ætate aut valetudine fessi sacramento solvebantur. Cladem Lugdunensem (26) quadragies sestertio (27) solatus est Princeps, ut amissa urbi reponeret: quam pecuniam Lugdunenses ante obtulerant, turbidis casibus.

AN. U. C. DCCCXIX. ÆR. CHR. 66.

Antejus & Ostorius ad mortem aguntur.

XIV. C. Suetonio, C. Telesino consulibus (28), Antistius Sosianus, factitatis in Neronem carminibus probrosis, exsilio, ut dixi, multatus, postquam id honoris indicibus, tamque promptum ad cædes Principem accepit, inquires animo, & occasionum haud segnis, Pammenem, ejusdem loci exulem, & Chaldæorum arte famosum, eoque multorum amicitis innexum, similitudine fortunæ sibi conciliat.

Ven-

entitare ad eum nuntios, & consultationes non
 istra ratus, simul annuam pecuniam a P. Antejo
 nistrari cognoscit. Neque nescium habebat, An-
 jum caritate Agrippinæ invisum Neroni, opes-
 te ejus præcipuas ad eliciendam cupidinem, eam-
 te causam multis exitio esse. Igitur interceptis
 nteji literis, furatus etiã libellos, quibus dies
 enitalis ejus, & eventura, secretis Pammenis oc-
 ultabantur, simul repertis, quæ de ortu vitæque
 Ostorii Scapulæ composita erant, scribit ad Prin-
 ipem, *magna se, & quæ incolumitati ejus con-
 lucerent, allaturum, si brevem exsilii veniam im-
 petravisset: quippe Antejum & Ostorium immine-
 re rebus, & sua Cæsarisque fata scrutari. Exin
 missæ liburnicæ, advehiturque prope Sosianus.
 Ac vulgato ejus indicio, inter damnatos magis,
 quam inter reos, Antejus Ostoriusque habebantur:
 adeo ut testamentum Anteji nemo obsignaret, nisi
 Tigellinus auctor exstitisset. Monitus prius Antejus
 (29), *ne supremas tabulas moraretur*. Atque
 ille, hausto veneno, tarditatem ejus perosus, in-
 tercisis venis, mortem adproperavit.*

XV. Ostorius longinquis in agris, apud finem
 Ligurum, id temporis erat: eo missus centurio,
 qui cædem ejus maturaret. Causa festinandi ex eo
 oriebatur, quod Ostorius multa militari fama, &
 civicam coronam apud Britanniam meritis (30),

ingenti corporis robore, armorumque scientia, metum Neroni fecerat, ne invaderet pavidum semper, & reperta nuper conjuratione magis exterritum. Igitur Centurio, ubi effugia villæ clausit, jussa Imperatoris Ostorio aperit. Is fortitudinem adversum hostes sæpe spectatam in se vertit. Et quia venæ, quamquam interruptæ, parum sanguinis effundebant, hætenus manu servi usus, ut immotum pugionem extolleret, adpressit dextram ejus, juguloque occurrit.

XVI. Etiam si bella externa, & obitas pro republica mortes tanta casuum similitudine memorarem: meque ipsum satias cepisset, aliorumque tædium exspectarem, quamvis honestos civium exitus, tristes tamen & continuos aspernantium. At nunc patientia servilis, tantumque sanguinis domi perditum, fatigant animum, & mœstitia restringunt. Neque aliam defensionem ab iis, quibus ista noscuntur, exegerim, quam, ne oderim (31) tam segnitè pereuntes. Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non, ut in cladibus exercituum, aut captivitate urbium (32), semel editam transire licet. Detur hoc illustrium virorum posteritati, ut, quomodo exsequiis a promiscua sepultura separantur, ita, in traditione supremorum, accipiant habeantque propriam memoriam.

*Eodem agmine Annæus Mela, Cerialis Anicius,
Rufus Crispinus, C. Petronius cecidere.*

XVII. Paucos quippe intra dies, eodem agmine Annæus Mela, Cerialis Anicius, Rufus Crispinus, ac Petronius cecidere. Mela & Crispinus, quites Romani, dignitate senatoria (33). Nam hic nondam præfectus prætorii, & consularibus insidibus donatus; ac nuper criminis conjurationis in ordinem exactus, accepto jussæ mortis nuntio, seipsum interfecit. Mela, quibus Gallio & Seneca, parentibus natus, petitione honorum abstinuerat, per ambitionem præposteram, ut eques Romanus consularibus potentia æquaretur: simul acquirendæ pecuniæ brevius iter credebat, per procurationes (34) administrandis Principis negotiis. Idem Annæum Lucanum genuerat, grande adjumentum claritudinis: quo interfecto, dum rem familiarem ejus acriter requirit, accusatorem concivit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis. *Mixta inter patrem filiumque conjurationis scientia fingitur, adsimulatis Lucani literis: quas inspectas Nero ferri ad eum jussit, opibus ejus inhians. At Mela, quæ tum promptissima mortis via, exsolvit venas: scriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum, generumque ejus Cossutianum Capitonem erogabat;*

quo cetera manerent. Additur (35) codicillis, tanquam de iniquitate exitii querens ita scripsisset, *quidem mori nullis supplicii causis, Rufium autem Crispinum & Anicium Cerialem vita frui, infensum Principi. Quæ composita credebantur, de Crispino quia interfectus erat, de Ceriali, ut interficeretur. Neque enim post multo vim sibi attulit, ignominie quam ceteri miseratione, quia proditam C. Caesari conjurationem ab eo meminerant.*

XVIII. De C. Petronio (36) pauca supra repetenda sunt. Nam illi dies per somnum, nox officii & oblectamenti vitæ transigebatur. Utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat; habebaturque non ganeo & profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta factaque ejus quanto solutiora, & quamdam sui negligentiam præferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniæ (37), & mox consul, vigentem se, ac parem negotiis ostendit: dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni adsumptus est, elegantiae arbiter, dum nihil amœnum & molle affluentia putat, nisi quod ei Petronius approbavisset. Unde invidia Tigellini, quasi adversus æmulum, & scientia voluptatum potioem. Ergo crudelitatem Principis, cui ceteræ libidines cedebant, aggreditur, amicitiam Scevini Petronio

jectans; corrupto ad indicium servo, adempta-
te defensione, & majore parte familiæ in vincla
pta.

XIX. Forte illis diebus Campaniam petiverat
cæsar, & Cumas usque progressus Petronius illic
tinebatur. Nec tulit ultra timoris aut spei mo-
tus: neque tamen præceps vitam expulit, sed in-
isas venas, ut libitum, obligatas, aperire rursum,
& adloqui amicos, non per seria, aut quibus con-
stantiæ gloriam pèteret. Audiebatque referentes;
nihil de immortalitate animæ, & sapientium placi-
is, sed levia carmina, & faciles versus. Servorum
alios largitione, quosdam verberibus adfecit. Inuit
& vias, somno indulsit, ut, quamquam coacta mors,
fortuitæ similis esset. Ne codicillis quidem (quod
plerique pereuntium) Neronem aut Tigellinum, aut
quem alium potentium adulatus est: sed flagitia
Principis, sub nominibus exoletorum, feminarumque,
& novitate cujusque stupri, perscripsit, atque ob-
signata misit Neroni: fregitque annulum (38), ne
mox usui esset ad facienda pericula.

Silia exsilium.

XX. Ambigenti Neroni, quonam modo noctium
suarum ingenia notescerent, offertur Silia, matri-
monio senatoris haud ignota, & ipsi ad omnem li-

bidinem adscita, ac Petronio perquam familiaris agitur in exilium, tamquam non siluisset, quæ raderat, pertuleratque, proprio odio (39). At Naccium Thermum, prætura functum, Tigellini sitatibus dedit, quia libertus Thermi quædam Tigellino criminosè detulerat, quæ cruciatibus tormentorum ipse, patronus ejus nece immerita læret.

Nerone virtutis ipsius exciſcendæ cupido, gravioſiſſimæ criminatiõnum moles in Thræſeam Patum & Barea Soranum ingruit. Servilia, Sorani filia, patris discrimini connectitur. Interrita eorum conſtantia: iis datur mortis arbitrium. Accuſatoribus Eprio, Coſſutiano, & Oſtorio Sabino tribuuntur præmia.

XXI. Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum Nero virtutem ipsam exciſcendere concupivit, interfecto Thræſea Patro, & Barea Sorano, olim utriſque infensus, & accedentibus cauſis in Thræſeam; quod ſenatu egreſſus eſt, cum de Agrippina referretur, ut memoravi: quodque Juvenalium ludicro parum exſpectabilem operam præbuerat: eaque offenſio altius penetrabat, quia idem Thræſea Patavii, unde ortus erat, ludis Caſticis (40),

rojano Antenore institutis, habitu tragico cecinet. Die quoque, quo prætor Antistius, ob pro-
ra in Neronem composita, ad mortem damnaba-
r, mītiora censuit (41), obtinuitque: & cum
eūm honores Poppææ decernerentur, sponte ab-
ens, funeri non interfuit. Quæ obliterari non si-
nebat Capito Cossutianus, præter animum, ad fla-
gitia præcipitem, inimicus Thræseæ, quod auctori-
tate ejus concidisset, juvantis Cilicum legatos, dum
Capitonem repetundarum interrogant.

XXII. Quin & illa objectabat: *principio anni
vitare Thræssam sollemne jusjurandum* (42): *nun-
cupationibus votorum non adesse, quamvis quinde-
cimvirali sacerdotio præditum: numquam pro sa-
lute Principis, aut cælesti voce immolavisse: adsi-
dium olim & indefessum, quæ vulgaribus quoque
patrum consultis semet factorem, aut adversarium
ostenderet, triennio non introisse curiam: nuperrimeque, cum, ad coercendos Silanum & Veterem,
certatim concurreretur, privatis potius clientium
negotiis vacavisse: secessionem jam id, & partes,
& si idem multi audeant, bellum esse. Us quon-
dam C. Cæsarem, inquit, & M. Catonem; ita
nunc te, Nero, & Thræseam avida discordiarum
civitas loquitur. Et habet sectatores, vel potius
satellites, qui nondum contumaciam sententiarum,
sed habitum vultumque ejus sectantur, rigidi &*

tristes, quo tibi lasciviam exprobrent. Huic incolumitas tua sine arte, sine honore (43). Prosperas Principis res spernit: etiamne luctibus & laboribus non satiatur? Eiusdem animi est, Propetiam divam non credere, cujus in aëta divi Augusti & divi Julii non jurare. Spernit religionem, abrogat leges. Diurna populi Romani (44) per provincias, per exercitus, curatius leguntur, ut dicatur, quid Thrasea non fecerit. Aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt: aut nova cupiditibus auferatur dux & auctor. Ista secula (45) Tiberonis, & Favonios, veteri quoque reipublice ingrata nomina, genuit. Ut imperium evertant, libertatem præferunt: si perverterint, libertatem ipsam aggredientur. Frustra Cassium amovisti, si gliscere & vigere Brutorum æmulos passurus es. Denique nihil ipse de Thrasea scripseris, disceptatorem senatum nobis relinque. Extollit ira promptum Cossutiani animum Nero: adjicitque Marcellum Eprium, acri eloquentia.

XXIII. At Baream Soranum jam sibi Ostorius Sabinus, eques Romanus, poposcerat reum, ex proconsulatu Asiæ, in qua offensiones Principis auxit, justitia atque industria: & quia portui Ephesiorum aperiendo curam insumpserat: vimque civitatis Pergamenæ, prohibentis Acratum, Cæsaris libertum, statuas & picturas avehere, inultam omi-

at. Sed crimini dabatur *amicitia Plauti*, & *amicitia conciliandæ provincie ad spes novas*. Tem-
 : damnationi delectum, quo Tiridates, accipien-
 Armeniæ regno, adventabat: ut ad externa ru-
 ribus (46) intestinum scelus obscuraretur, an,
 magnitudinem Imperatoriam cæde insignium vi-
 rum, quasi regio facinore, ostentaret.

XXIV. Igitur omni civitate ad excipiendum
 principem, spectandumque regem, effusa, Thrasea,
 : cursu prohibitus; non demisit animum: sed codi-
 illos ad Neronem composuit, requirens *objecta*,
 & *expurgaturum adseverans, si notitiam crimi-*
um, & copiam diluendi habuisset. Eos codicillos
 vero properanter accepit, spe, exterritum Thra-
 : eam scripsisse, per quæ claritudinem Principis ex-
 :olleret, suamque famam dehonestaret: Quod ubi non
 evenit, vultumque, & spiritus & libertatem insontis
 ultro extimuit, *vocari patres jubet*. Tum Thrasea
 inter proximos consultavit, *tentaretne defensionem,*
an sperneret. Diversa consilia adferebantur.

XXV. Quibus intrari curiam placebat, *securos*
esse de constantia ejus dixerunt; nihil dicturum,
nisi quo gloriam augetet. Segnes & pavidos supre-
mis suis secretum circumdare. Aspiceret populus vi-
rum, morti obviis; audiret senatus voces, quasi
ex aliquo numine, supra humanas (47): posse ipso
miraculo etiam Neronem permoveri: sin crudelitati

insisteret, distingui certe apud posteros memorie honesti exitus ab ignavia per silentium perentiam (48).

XXVI. Contra, qui opperendum domi ceabant, de ipso Thræsea eadem. *Sed ludibria contumelias imminere: subtraheret aures concitæ & probris. Non solum Cossutianum aut Epræ ad scelus promptos, superasse, qui forsitan ænus ictusque per immanitatem Augusti (49): etiam bonos metu sequi. Detraheret potius senatus, quem perornavisset (50), infamiam tanti flagitii: & relinqueret incertum, quid, viso Thræsea reo, decreturi patres fuerint. Ut Neronem flagitiorum prodor caperet, irrita spe agitari: multoque magis timendum, ne in conjugem, in familiam, in cetera pignora ejus sciviret. Proinde intemeratus, impulsus, quorum vestigiis & studiis vitam duxit, eorum gloria peteret finem. Aderat consilio Rusticus Arulenus, flagrans juvenis, & cupidine laudis offerebat se intercessurum senatusconsulto: nam plebis tribunus erat. Cohibuit spiritus ejus Thræsea, ne vana, & reo non profutura, intercessori exitiosa, inciperet. Sibi ætam ætatem, & tot per annos continuum vite ordinem non deserendum: illi initium magistratum, & integra, quæ supersint. Multum ante seculum expenderet, quod tali in tempore capessendæ reipublicæ iter ingrederetur. Ce-*

um ipse, an venire in senatum deceret, medi-
ioni suæ reliquit.

XXVII. At postera luce, duæ prætoriæ cohortes armatæ templum genetricis Veneris insedere, ditum senatus globus togatorum obsederat, non cultis gladiis; dispersisque per fora ac basilicas tnei militares; inter quorum aspectus & minas ingressi curiam senatores. Et oratio Principis per præstorem ejus audita est. Nemine nominatim comellato, patres arguebat, *quod publica munia desererent, eorumque exemplo equites Romani ad segnitiam verterentur. Etenim, quid mirum o longinquis provinciis haud veniri (51), cum plerique, adepti consulatum & sacerdotia, hortorum potius amicitia inservirent? quod velut telum arripere accusatores.*

XXVIII. Et initiam faciente Cossutiano, majore vi Marcellus, *summam rempublicam agi (52)*, clamitabat: *contumacia inferiorum lenitatem imperantis deminui. Nimum mites ad eam diem patres, qui Thraseam desciscientem, qui generum ejus, Helvidium Priscum (53), in iisdem furoribus, simul Paconium Agrippinum, paterni in Principes odii heredem, & Curtium Montanum, detestanda carmina facitantes, eludere impune sinerent. Requiere se in senatu (54) consularem, in votis sacerdotem, in jurejurando civem: nisi, contra institu-*

ta & carimonias majorum, proditorem palam hostem Thræsea induisset. Denique agere scelerem, & Principis obrectatores protegere (55) litus, veniret, censeret, quid corrigi aut nunc vellet: facilius perluturos singula increpantem, quam nunc silentium perferrent omnia damnantis. Pauci illi per orbem terræ, an victorias sine damno exercituum displicere? Ne hominem bonis publicis mestum, & qui fora, theatra, templa pro solitudine haberet, qui minitaretur exilium suum, ambitionis prave compotem facerent. Non illi consulta, hæc, non magistratus, aut Romanam urbem videri. Abrumperet vitam ab ea civitate, cujus caritatem olim, nunc & aspectum exuisset.

XXIX. Cum per hæc atque talia Marcellus, ut erat torvus & minax, voce, vultu, oculis ardesceret; non illa nota, & celebritate periculorum (56) sueta jam senatus mæstitia, sed novus & altior pavor, manus & tela militum cernentibus: simul ipsius Thræseæ venerabilis species obversabatur: & erant, qui Helvidium quoque miserarentur, innoxie adfinitatis pœnas daturum. Quid Agrippino obiectum, nisi tristem patris fortunam? quando & ille, perinde innocens, Tiberii scœvitia concidisset. Entimvero Montanum probæ juventa, neque famosi carminis, quia protulerit ingenium, extorrem agi.

XXX. Atque interim Ostorius Sabinus, Sorani usator, ingreditur, orditurque *de amicitia Rulzii Plauti, quodque proconsulatū Asiæ Soranus claritate sibi potius accommodatum, quam ex lītate communi egisset, alendo seditiones civitatum.* Vetera hæc: sed recens, discrimini (57) pass filiam connectebat, quod pecuniam Magis dirgita esset. Acciderat sane pietate Serviliæ (idomen puellæ fuit), quæ, caritate erga parentem, simul imprudentia ætatis, non tamen aliud consultaverat, quam *de incolumitate domūs, & an lacabilis Nero, an cognitio senatūs nihil atrox aderet.* Igitur accita est in senatum, steteruntque liversi ante tribunal consulum, grandis ævo parens, contra filia intra vicesimum ætatis annum, nuper marito, Annio Pollione, in exilium pulso, viduata desolataque; ac ne patrem quidem intuens, cujus onerasse pericula videbatur.

XXXI. Tum interrogante accusatore, *an cultus dotales, an detractum cervici monile, venum dedisset, quo pecuniam faciendis magicis sacris contraberet?* primum strata humi, longoque fletu & silentio, post, altaria & aram (58) complexa: *nullos, inquit, impios deos, nullas devotiones, nec aliud infelicibus precibus invocavi, quam ut hunc optimum patrem, tu, Cæsar, vos, patres, servaretis incolumem. Sic gemmas, & vestes, & di-*

gnitatis insignia dedi, quomodo, si sanguinem vitam poposcissent. Viderint isti, antebac ignoti, quo nomine sint, quas artes exerceant: nulla mihi Principis mentio, nisi inter numina. Nescit tamen miserrimus pater: & si crimes sola deliqui.

XXXII. Loquentis adhuc verba excipit Soranus, proclamatque: *non illam in provinciam sanctam profectam, non Plauto per aetatem nosci potius: non criminibus mariti connexam: nimie tantae pietatis ream separarent (59); atque ipse quantumcumque sortem subiret. Simul in amplexus occurrentis filiae ruebat, nisi interjecti lictores utrisque obstitissent. Mox datus testibus locus: & quantum misericordiae saevitia accusationis permoverat, tantum irae P. Egnatius testis concivit. Cliens hic Sorani, & tunc emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat, habitu & ore ad exprimentam imaginem honesti exercitus (60), ceterum animo perfidiosus, subdolos, avaritiam & libidinem occultans. Quæ postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum præcavendi, quo modo fraudibus involutos, aut flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos & amicitiae fallaces.*

XXXIII. Idem tamen dies & honestum exemplum tulit Cassii Asclepiodoti, qui magnitudine opum præcipuus inter Bithynos, quo obsequio flo-

um Soranum celebraverat, labantem non de-
 : (61). Exutusque omnibus fortunis, & in ex-
 n actus; æquitate deum erga bona malaque do-
 enta (62). Thraseæ, Soranoque, & Serviliæ da-
 mortis arbitrium. Helvidius & Paconius Italia
 elluntur. Montanus patri concessus est, prædi-
 ne in republica haberetur (63). Accusatori-
 , Eprio & Cossutiano, quinquagies sestertium (64)
 gulis, Ostorio duodecies, & quæstoria insignia
 ouuntur.

XXXIV. Tum ad Thraseam, in hortis agen-
 n, quæstor consulis missus, vesperscente jam die.
 lustrum virorum feminarumque cætus frequentes
 gerat, maxime intentus Demetrio (65), Cynicæ
 institutionis doctori: cum quo, ut conjectare erat
 attentione vultus, & auditu (66), si qua clarius
 proloquebantur, de natura animæ, & dissociatione
 spiritus corporisque inquirebat: donec advenit Do-
 mitius Cæcilianus, ex intimis amicis, & ei, quid
 senatus censisset, exposuit. Igitur flentes queri-
 tantesque, qui aderant, *facessere prope Thrasea,*
non pericula sua miscere cum sorte damnati hortat-
tur. Arriamque, tentantem mariti suprema, &
exemplum Arriæ matris (67) sequi, monet, retine-
re vitam, filiæque communi subsidium unicum non
adimere.

XXXV. Tum progressus in porticum, illic a

quæstore reperitur, lætitiæ propior, quia Helvidium, generum suum, Italia tantum arceri cognoverat. Accepto dehinc senatusconsulto, Helvidium & Demetrium in cubiculum inducit: porrectisque utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens; propius vocato quæstore, *Libemus*, inquit, JOVI LIBERATORI: *Spēta, juvenis: Quod omen quidem dii prohibeant; ceterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis.* Post, lentitudine exitūs graves cruciatus adferente, obversis in Demetrium.... (68).

FINIS ANNALIUM.

IN LIBRUM UNDECIMUM

ANNALIUM NOTÆ.

- 1) *Valerium Asiaticum*. Deest hujus libri initium. Hic autem narrabat Tacitus, quo modo Messallina abutens valetudine Claudii imperatoris, in omne nefas magis magisque ruerre cœperit, simulque exitium attulerit viro magnis virtutibus prædito & opulentissimo *Valerio Asiatico*, & Poppææ Sabinæ, Poppæi Sabini filiæ, de quo Ann. 6, 39. Hujus Poppææ mentionem fecerat in iis quæ interciderunt.
- (2) *Hortis inhians*. Hinc Messallina Lucullanos in hortos digreditur infra 32.
- (3) *Moneret ... cavere vim atque opes*. Ita Ernestus e codice Guelferbytano: nam Flor. & regius scribunt *caveri*, prout quoque edidit Beroaldus. Mutavit Lipsius, maluitque *auri vim atque opes*. Porro *moneret cavere vim atque opes*, pro *cavendas esse potentiam atque opes*, usitatum loquendi genus Tacito. Sic Ann. 4, 67. *qui monerent perfugere ad Germanicos exercitus*.
- (4) *Non extimuisse in concione ... fateri*. Res hic invidiose augetur. Ex Dione 59. Asiaticus, ut tumultuantes prætorianos compesceret, ex edito loco vociferatus est: *Utinam ego ipsum interfecissem*.
- (5) *In omni flagitio obstrictos*. Rhenanus recte *in omni flagitium*, ut Ann. 4, 10. *ad scelus corrupta*.
- (6) *Victo silentio*. Victa patientia, cum præ ira silere diutius non posset.
- (7) *Vitellium*. Qui tum consul tertium, pater Vitellii imperatoris.
- (8) *Liberum ei mortis arbitrium permisit*. Nempe sententia sua, seu censuit ei tamquam confesso convictoque concedendum sponte mori, non sub carnifice. *Permisit* eo sensu ponitur, quo patroni reum *damnare* aut *absolvere* dicuntur. Hic autem ironice notantur, & impudentia Vitellii, & insignis Claudii stoliditas. Hunc consultantem super absoluteione Asiatici, quem videbat insontem, scelestè Vitellius, prætexens amicitiam rei, flexit tandem pro absoluteione ad mitiorem pœnam, & stolidè Claudius, exorari clementiam suam

- passus, quem nullius criminis compertum absolutum esse ei, priorum bene meritorum commemoratione victus, cui gratiam faceret, liberum mortis arbitrium permittit. Ita *Mercerus*.
- (9) *Quam quod fraude muliebri ... caderet*. Dele cum *Ganovio* particulam *quod*.
- (10) *Addere reos*. Augere numerum reorum: aliis reis adde *equites ... illustres*, de quibus vide ad Ann. 2, 59.
- (11) *Quibus Petra cognomentum*. Lipsius conjicit ab his nomen habuisse aliam *Petrinam*, de qua Hist. 4, 49.
- (12) *Quod domum suam Valerii & Poppæe congressum prabuissent*. Ita *Guelferbytanus* codex & veteres edidit; que cum *Ryckio* & *Ernesto* maluimus, quam Lipsianam *Etionem Mnestoris*, ductam e vestigiis Florentini codicis, in quo mendose scribitur *Nestoris*: ne in crimen adducatur *Mnester* ille pantomimus, quem tunc *Messallina* deperibat.
- (13) *Gravitatem annonæ dixisset*. Pro, futuram prædixisset.
- (14) *Sestertium quindocies*. Lib. Tur. 127 500. *Ducis*. Lib. 125000.
- (15) *Eleganti temperamento*. Ea enim verborum ambiguitate utebatur, qua exitium vitabat & infamiam, nec *Poppæam* uxorem damnando, quam omnes insontem judicabant, nec aperte contradicendo *Messallinæ*.
- (16) *Quadringentis nummorum millibus*. Lib. 50000.
- (17) *Legem Cinciam*. De donis & muneribus, quam tulit *M. Cincius* tribunus plebis anno v. c. 549.
- (18) *Discors Suilio*. Qui *Suilio* esset inimicus.
- (19) *Negotia tueantur*. Supple *oratores, advocati*. Si in privatarum causas agant, ut ab nullo mercedem expectent.
- (20) *Et postquam annuit, agere incipiunt*. Ita Lipsius emendabat, & consentit *regius* codex, quem cum *Ernesto* secutus sumus. In aliis scriptis aut editis mendose legitur, *annuit tacens*, aut *annuit: tacere incipiunt*.
- (21) *Quieta rep. nulla, nisi pacis, emolumenta petere*. Scriptorum & vetustius editorum lectio non spernenda, qui a *rep. nulla nisi pacis emolumenta peterent*. At *Jac. Gronovius* mavult: *se modicos senatores: quieta rep. nulla nisi pacis emolumenta: petere ut cogitaret plebem*, i. e. plebejos homines, *qua toga*, seu eloquentia *enitesceret*.
- (22) *Ad dena sestertia*. Libellus Tur. 1250. quem modum pecuniæ supergressi, lege de pecuniis repetandis in jus vocarentur.
- (23) *Vinctum memoravi*. Ita *Ernestus* e scriptis codicibus &

itione prima. Vitiose in vulgatis *uictum*. Id. narrauerat acitus in rebus Caligulæ. Nam Caligula Mithridatem hunc omam accessitum in uinculis habuerat, miseratque in exsili-
um.

1) *Necem* ... *properauerat*. Alii legunt *preparauerat*, 10d. Gronouio uix Latinum uidetur, legitque *properauerat*, uod & Mureto uisum. Supra Ernestus pro *qui necem*, uallet quippe *necem*.

2) *Et recipere*, i. e. inquit Gronouius, *et recipere*: sicque forte legendum, aut uerbum excidit. *Ni a Kibio*, præpositionem, omissam inde a Puteolano, restituit Jac. Gronou. e Mss. & editione prima.

3) *Ad annem Erinden*. Fluuuii nomen ignotum. Suspica-
tur Ryckius legendum *ad annem Charindam*, qui medius inter Mediam & Hyrcaniam in mare Caspium effunditur.

4) *Intolerantior*. Significatione passiva. Sic Ann. 3, 45. *In-
tolerantior seruitus iterum uictis*.

5) *Polem-Pbraatis*. Nepotem ex Vonone.

6) *Ludi sæculares*. Instituti a Valerio Publicola, post reges exactos, & tum primum celebrati; decimo & cenesimo quo-
que anno celebrandi. *Has intermissos Augustus multo post, diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem re-
degit*, ut in historiis suis scripserat Claudius. Ipse tamen rationem aliam instituit, censuitque centesimo quoque anno non institutionis, sed urbis conditæ celebrandos. Eisdem ludos fecit Domitianus, computata ratione temporum ab anno, non quo proxime Claudius, sed quo olim Augustus ediderat. Vide Suetonium in Claudio 21, & in Domitiano 4.

7) *Et magistratus*. Itaque in ludorum præcuratione & quin-
decimviri & prætoris uices obibat Tacitus.

8) *Ludicrum Troja*. Hoc nomine uocabant ludum, in quo pueri nobiles decurrebant in equis, institutum antiquitus, & reuocatum ab Augusto. Vide Virgilium Æneidos 5, v. 196.

9) *Anore detinebatur*. Ita Ernestus ex editione prima re-
posuit, pro uulgatorum *distingebatur*: quod uerbum ab hoc loco alienum est.

10) *In C. Siliam*. Qui tunc consul designatus, filius Sili, de quo Ann. 4, 18, & 19.

11) *Iuniam Silanam*. De qua uide Ann. 13, 19.

12) *Nonnulla fallendi spe*, i. e. latendi. Sic Ann. 6, 30. *Charicles pulsum uenarum attigit, neque se fallit*.

13) *Paratus principis*. Pretiosa quoque ornamenta. Vide infra 35.

- (37) *In P. Pomponium*. De quo Ann. 5, 8. Lipsio videtur esse idem qui Ann. 12, 27, & 28. dicitur *L. Pomponius*.
- (38) *Ne in mortem parentum pecunias*, i. e. quas, mortuorum parentibus eorum, repeterent cum usuris. Id jure videtur vetitum fuisse Lætoria lege, quæ tamen his tantum cavebat, qui intra 25 annos essent. Lex autem Claudiana, quæ de nomine *Macedonis* fœneratoris vocatur senatusconsultum *Macedonianum*, respicit omnes filios familias, quicumque sint ætate, vetatque eos, mortuo patre, appellari de pecunia ipsis, vivo patre, credita. Eandem legem rescripsit Vespasianus, ne filiorum familias fœneratoribus exigendi crediti jus unquam esset.
- (39) *Ab Simbruinis collibus*. Ita monente Jac. Gronovio edidit Ernestus e vestigiis Mss. in quibus scribitur *sub imbruinis*. Ann. 14, 22. mentio est stagnorum *Simbrunorum*.
- (40) *Per figuras animalium*. Quæ notæ hieroglyphicæ vocantur. Infra pro, & *antiquissima*, Lipsius & Freinsheimius legunt, *ea antiquissima*, & incisum claudunt parentesi.
- (41) *Tres litteras adjecit*. Quarum una fuit *digamma* Eolicum pro *o* consona: altera *antisigma* pro *φ* Græcorum: tertiam Lipsius putat esse *ϕ* Græcorum, Vossius *χ* vel *θ*.
- (42) *Publicandis plebiscitis*. Nulla tunc temporis plebiscita seu jussa plebis fuerunt, unde Grotius emendat *publicando plebi scitis*, i. e. senatusconsultis: quod cum Ryckio & Ernesto verum putamus.
- (43) *Nomine Italicus*. Vulgo *Italus*. Sequimur codicem Flor. in quo bis nomen, ut volumus, scribitur. Memoratur *Italicus* rex Suevorum Hist. 3, 5.
- (44) *Paternum huic genus e Flavio*. De quo Ann. 2, 9.
- (45) *Arminium præscribi*. In Italici titulli prædicari Arminium, qui illi patruus. Infra pro vulgatorum *parentes* dedimus cum Ernesto *parentem*, ex editione prima, ut voluit Muretus.
- (46) *Nec patrem rubori*. Alii legunt *nec patrem illi rubori esse*. *Illi* & *esse* non comparent in codice Flor. nec habent sane quod hinc agant. Idem codex infra scribit *dein secunda*, non *dehinc*.
- (47) *Auxiliaris & diu meritis*. Ita Puteolantus, unde in ceteras editiones fluxit. Codices hoc loco parum juvant: scribunt enim *auxiliare esse in meritis* aut *ex dramentis aut ex diu meritis*. Emendabat Mercerus *auxiliare as diu meritis*. Gronovius conjiciebat *auxiliaris & diu gentis*.
- (48) *Originem ... traxere*. Ideo vulgata sunt, quod magna esset Corbulonis severitas.

- 3) *Clade L. Apronii*. Vide Ann. 4, 72.
- 4) *Aut degeneres*. Aut indignæ nomine Romano, quia scilicet adversus violatorem fidei.
- 5) *Igitur Claudius*. Sic dedimus e scriptis codicibus & editis veteribus, ut & infra 34. *Igitur auditorum principem*. Vulgati utrobique habent *ideo, ergo*.
- 6) *Fossam perduxit*. Ita codex Guelferbytanus & editio prima, non ut vulgo *produxit*. Ryckius multis contra Cluverium assertit cum Ortelio fossam illam esse Rheni alveum inter Baravadurum & Merovæi fossam interjectum.
- 7) *Qua incerta*, hoc est, æstuaria *Oceani vetarentur*, ascerentur, prohiberentur, ne restagnando terris nocerent.
- 8) *In agro Mattiaco*. Quæ pars Cattorum, qua oppidum Maspurgum.
- 9) *Effodere rivos*. Ad milites Corbulonis refer: *bumum infra moliri*: ad Curtii exercitum.
- 10) *Curtii Rufi*. Hunc historiae Alexandri magni scriptorem esse multis probat Ryckius.
- 11) *Oblata ei species muliebris*. Idem narrat Plinius epist. lib. 7, 27.
- 12) *Nullis palam, neque cognitis mox causis*, i. e. quæ ante rem actam, aut mox per tormenta innouerint.
- 13) *De se Novius, conscios non edidit*. In codice Flor. legitur *de se noni ... conscios non edidit*, quam scripturam ingeniose supplet Jac. Gronovius: *de se non inficiatus, conscios non edidit*.
- 14) *Pecunia eorum, qui quaesturam adipiscerentur*. Id remisit Nero Ann. 13, 9.
- 15) *Lex curiata*. Lex a populo comitiis curiatis lata, sine qua rem militarem attingere nefas erat. Hæc autem comitia tantum auspicioꝝ causa remanserant: in his populi, seu triginta curiarum nomine lictores triginta suffragium ferebant.
- 16) *Tertio & sexagesimo anno*. Loquitur de quaestoribus à populo primum creatis: non igitur dissentit a Livio & Dionysio, qui ad annum tertium & vigesimum post reges exactos, nominant quaestores qui diem dixerint Sp. Cassio.
- 17) *Supplendo senatui*. Nam quaestores, ut & ceteri magistratus, dicendæ in senatu sententiæ jus habebant, etiamsi nondum a censoribus in senatum lecti essent.
- 18) *Tribuentium*. Populi, quamdiu penes eum comitia, senatus, postquam comitia ad illum sub Tiberio translata sunt.

- (65) *Comata*. Sic vocabant Galliam, quæ sita trans Alpe respectu Italiæ: at Cisalpinam vocabant *togatam*.
- (66) *Civitatem Romanam pridem adsecuti*. Partim a Julio Cæsare, partim ab Augusto.
- (67) *Suffecisse olim indigenas consanguineis populis*. V. l. et Gronovius *consanguineo populo*: ut sensus sit, *suffecisse*, nempe senatum, Italos, qui essent *indigena*, populo Romano, sanguine cum ipsis conjuncto.
- (68) *Aut si quis pauper e Latio senator foret? Lege Acidalio, aut si quis pauper e Latio senator, fore?*
- (69) *Quid si memoria eorum inoriretur*. Locus deploratus. Codex Flor. pro *inoriretur*, habet *moreretur*. In eodem codice visuntur formæ litterarum ignotæ, ex quibus editi fecerunt *prostratis*, vel *per se satis*. Si verba ad auctoris sensum refingere cupis, lege cum Jac. Gronovio: *quid si memoria eorum moverentur, qui pro Capitolio & arce Romana manibus eorundem prostrati sunt? Pro Capitolio*: ut pro muris, i. e. ante muros.
- (70) *Majores mei*. Merito culpatur Tacitus, quod orationem a se compositam hic inseruerit, cum posset ipsam Claudii orationem describere, cujus orationis haud pœnitendæ partes etiam nunc visuntur Lugduni in æs incisæ.
- (71) *Postremo ipsam*. Nempe civitatem Romanam.
- (72) *Libertinorum filii*. Claudius ignorabat, inquit Suetonius, *temporibus Appii, ac deinceps aliquandiu, libertinos dictos, non ipsos, qui manumitterentur, sed ingeniosos ex his procreatos*.
- (73) *Breviore spatio*. De Comata Gallia dictum puta, quæ decem annis a Julio Cæsare perdomita.
- (74) *Fraternitatis nomen*. Notat Asconius quosdam *federatos* vel *socios*, quosdam *liberos*, nonnullos *szipendarios*, alios *fratres* populi Romani fuisse nuncupatos.
- (75) *Minorum gentium*. Lectos a Tarquinio Prisco senatores *minorum gentium* vocat Livius.
- (76) *Recens. repertam*. Ab Augusto. In his supple *magis, potius*, ex more Corneliano.
- (77) *Flagitiis manifestis*. Mallet Acidalius *flagitii*.
- (78) *Cujus apud prodigos*. Nempe *fama*. Sententiam explicat Seneca epist. 123. *Nolunt solita peccare, quibus peccandi premium infamia est*.
- (79) *Nedum consulem designatum*. Ante hæc verba subintelligenda vox, *aliquem, quemquam*.
- (80) *Subisse*. Suspiciabatur Lipsius *nupsisse*, i. e. solenni lu-

teo flammeo faciem velasse; nisi si *subire verba* videtur dici, cui alius verba prævit.

- 1) *Persulsaverit*. Alii legunt *exultaverit*. Interpretatur Gronov. infamarit, commacularit, conspurcaverit. De Mnestere histrione sermo. Nec male Pichena dedit *persulsaverit*, quod verbum nec ab artificio hominis alienum. Codices hoc loco mirum in modum depravati.
- 2) *Sed excidium*. Alii *excidium*. Mutavit Ryckius, cum in Flor. sit *etscidium*. Sed melius legetur *discidium*. Infra, *an discidium tuum nostri?*
- 83) *Circa necem Caesaris narratus*. In libris præcedentibus, ubi de Caligula. *Appiana cadis molitor*. Rem vide apud Sueronium 37.
- 84) *Cautis, quam acribus, consiliis*. Ita codex Flor. & sic solet Tacitus. Sic Ann. 4, 61. *Claris majoribus quam veterustis*. Editi maluerunt *acrioribus*.
- (85) *Quod ei Titios, Vettios, Plautios, dissimulavisset*. Alii legunt *quod ei cis Vettios, cis Plautios dissimulavisset*. Particula *cis* idem vult quod *intra*. Ita Gronovius hunc locum emendat & interpretatur. Veniam peto, Cæsar, quod tacui, dum Vettiis, dum Plautiis mœchis contenta fuit Messallina; dum intra hos & horum similes libidinem stitit. In codicibus Vat. & Flor. & in editione prima legitur nullo sensu *cis Vetticis Plautio*. Codex Agricolæ scribit *Licios, Vettios, Plautios*: & nomina horum adulterorum a Tacito numero plurium elata verisimile est.
- (86) *Fortuna paratus*. Vide supra 12.
- (87) *Tum potissimum*. Vel adde *quemque*, vel lege *potissimos*.
- (88) *Prætorianis impositum*. Duo tunc prætotii præfecti, Lusius Geta, & Rufius Crispinus.
- (89) *Sive ceperat ea species*. Sive ea species animum ceperat, animo oblata erat.
- (90) *Consilium adimerent*. Flor. Bud. & editio prima habent *Consilium eximerent*.
- (91) *Spatium urbis*. Totam urbis longitudinem, a colle hortulorum, in quo horti Lucullani, ad portam Ostiensem. Ryckius. Idem infra, pro *eripiuntur*, mallet *exportantur*, e vestigiis regii codicis, in quo *expuuntur*.
- (92) *P. Largo Cæcina*. Videtur hîc intelligendus Cæcina Largus, qui consul cum Claudio an. 795. itaque pro P. respondendum C.
- (93) *Ac primum in vestibulo*. In atrio sive in vestibulo ima-

- gines majorum suo quæque ordine servabantur. Sili per-
damnatur crimine majestatis Ann. 4, 18.
- (94) *Quidquid habitum Neronebus*. Faernus emendabat *sum*. In pretium probri cecidisse. Huc delatum a Messallina. Infra codices & editio prima, *Et ad missas erumpentem*, quod mutari in *prorumpentem* quid attinuit?
- (95) *Custodem a Silio Messallina datum*. Mos fuit veterum custodes apponere conjugibus, idque scil. Messallinae novo matrimonio servari voluerat.
- (96) *Et confessum*. In hac voce videtur latere nomen alicujus e consciis.
- (97) *Ludi procurator*. Nempe gladiatorii.
- (98) *Ob patris egregium meritum*. A. Plautii qui Britanniam Claudio subegit.
- (99) *Verterat*. Absolute sumptum, pro verterat se, seu versa erat. Sic supra 31. *seu forte lapsa vox in praesentium versit*.
- (100) *Temporivis epulis*. Quæ scil. contra motem Romanum de medio die instructæ fuerant.
- (101) *Adidente matre Lepida*. Hanc Ryckius putat M. Lepidi, de quo Ann. 4, 20. filiam fuisse, quæ primum nupsit filio M. Valerii Messallæ: hunc autem ex Antonia minore, quæ ei secundis nuptiis hæserit, genuisse Valerium Messallinæ patrem, qui proinde Claudii ex Antonia majoris geniti consobrinus fuerit. Postea Lepida hæc, conciliante nuptias Claudio, secundis votis maritum sortita C. Appium Silanum, patrem L. Silani, qui destinatus Octaviæ Claudii filiae sponsus. Emilia Lepida, quæ nupta juveni Druso, videtur Messallinæ matris soror fuisse.
- (102) *Honesta quidem*. Quæ scilicet acta & decreta sunt circa cædem Messallinæ, quippe merito suo pœnis adfectæ. *Sed ex quibus*. Nam *Messallina viva*, nunquam locus fuisset incestus Agrippinæ nuptiis cum patruo, non veneficio Britannici, non tot sceleribus, quibus Nero infestavit orbem terrarum. Salinerius.
- (103) *Tristitiis multis*. Alii habent *flagitiis inultis e conjectura Rhenani*. Codices fere *tristitiis multis*, vel *inultis*. Unde Ernestus efficit *tristissima multis*.



 IN LIBRUM DUODECIMUM

ANNALIUM NOTÆ.

Cælibis vite intoleranti. Ita ex conjectura Mureti Pichea edidit, quum in codicibus male scribatur *intonantia* uod tamen restituit Jac. Gronovius. Idem codex infra exhibet *ac digna tanto matrimonio assentare*. Unde Beroal-
lus edidit *dignam*.

Lollii ... filiam. Neptem M. Lollii, qui moderator C. Cæsari datus ab Augusto.

) *Familiam communem.* Nihil certius Mureti conjectura emendantis *filiam*.

) *Dignum prorsus imperatoria fortuna.* Hæc Ryckio videntur vix posse dici de puero Nerone, de cujus adoptione Claudius nequidem cogitare poterat: itaque ex codice suo legit, *dignam prorsus* (nempe Agrippinam esse) *imperatoria fortuna*. Reliqua servat levi mutatione: *stirpe nobilem* (eamdem scilicet Agrippinam Nerone filio) & *familia Claudia qua posteros conjungeret*: quia cum Agrippina per patrem esset e gente Claudia, & ex hac nulla amplius superesset, quam Claudii imperatoris domus, non absurde matrimonium Agrippinæ cum Claudio, familiae Claudiæ posteros conjuncturum dicitur.

(5) *Juvenemque & alia clarum.* Erat enim abnepos Augusti, natus C. Appio Silano, & Æmilia Lepida Augusti pronepte ex Julia & L. Æmilio Paulo.

(6) *Fratrumque.* Hoc est, fratris & sororis non fœdam & scelestam libidinem, sed simplicem nimis & incautam, eoque malignæ interpretationi obnoxiam consuetudinem in crimen traxit.

(7) *Quin & incestum, ac, si.* Locum hunc ita Freinshemius interpretatur. Bonis quidem matrimonii fruebantur Claudius & Agrippina, at non securi, quia & incestum subesse videbatur, nondum firmatis ejusmodi nuptiis, & periculum iræ cælestis ob tam insigne flagitium. Claudius enim haud erat intacti superstitione animi. Vide infra 8. Incesta autem semper in prodigiis habita.

(8) *Consensus.* Nempe & senatûs & populi.

- (9) *Censoria mentis*, i. e. ejus qui non nomen modo et ris & officium, sed & mentem, castam illam & sanctam dignamque censore unico & morum custode præstaret. Gr.
- (10) *Vidua*. Agrippina, mortuo Domitio, nupsit Passieno, qui bis consul, orator, & prædives; possedit bis milles sestertium: lib. Tur. 25000000. Periit sub Claudio per fraudem Agrippinæ, quam heredem instituit ut habet vetus scholiastes Juvénalis: unde Suetonius & Neronem hereditate ejus ditatum.
- (11) *Audivisse a parentibus, vidisse ipsos*. Augustum & Cægulam designat.
- (12) *Documentum, quo*. Lipsius & Gronovius mallemus modo.
- (13) *Sobrinatum*. Sobrini proprie consobrinorum liberi: sed et voces a scriptoribus promiscue sumuntur: & hinc consobri- ni, fratrum aut sororum liberi sunt intelligendi.
- (14) *Adductum & quasi virile*. Servitium arctum & adstrictum, & quale vir possit injungere.
- (15) *Sacra ex legibus Tulli regis*. Ryckius alia piacula intelligenda esse judicat, quam quibus rex Tullus in Horæ sororiam cædem expiavit, ut putabat Lipsius.
- (16) *Pro Annao Seneca*. Qui a Messallina falso accusatus adulterii cum Julia Germanici filia, M. Vinicij uxore, & Claudio relegatus in Corsicam insulam fuerat.
- (17) *Ut retuli*. Ann. 11, 10.
- (18) *Quamquam is quoque miserat*. Et quidem tres miserat, Vononen, Phraaten, Tiridaten. Vide Ann. 2, 1, & 6, 31.
- (19) *Quanto ignara, pro ignota, & subauditur magis. Tolerantiora sunt gratiora*.
- (20) *Industriosque aut ignavos*. Ita distincte codex Flor. & editio prima. Vulgo ac ignavos, sed ac sequente vocali veteribus inusitatum.
- (21) *Per illas quoque gentes celebrata*. Ob C. Cassium, Cesaris postea interfectorem, cujus in Syria prosperæ res post cladem Crassi fuerant.
- (22) *Sed capta in transitu*. Scilicet regionis, urbs Ninor 4. & Arbela castellum. Duas voces, & Arbela, Ryckius addidit e suo codice: & jam Lipsius ex historia suppleverat.
- (23) *Ex quibus Izates Adiabenus*. Emendat Gronovius Adiabeno, ut intelligas ex proximo, cum exercitu.
- (24) *Siracorum*. Siraci, ut & Aorsi, populi inter Scythas.
- (25) *Nostris in armis*. Romanum in modum armati.

1) *Cratibus revinctis, ac media humo.* Structa cratibus & mentis, terram interjectam habentibus. Alii legunt *crutis & vimentis, ac media humo.*

1) *Ut belli potius jure caderent.* Hæc verborum trajectione peccatum censet Acidalius, ac legit, *datumque militibus, uti scalis evaserant, signum cadis, ut belli potius jure caderent.* Ernesto placet, deleto *ut*, sumi absolute verba, *elli potius jure caderent*: quod fortius & efficacius esse existimat.

1) *Apud effigiem Caesaris.* Imagines imperatorum inter signa & vexilla visebantur.

2) *Et plerisque centurionum interfecit.* Est hoc a Rhennano. Scripti codices habent *consularium*, vel *consiliarium*. Unde Heinsius emendabat *commanipularium*.

3) *Propriis odiis non insensum.* Jac. Gronovius ex ingenio Taciti dedit *propriis odiis inoffensum*. Vulgo *propriis odiis insensum*, contra mentem scriptoris.

4) *Ignoscendo transigatur.* Absolute sumptum. Supple *res, controversia*.

32) *Pœnas capite expenderet.* Nam triumphati plerumque morte adiciebantur.

(33) *Huc dolor.* Hæc lectio placuit Lipsio. Alii habent *hinc dolor*.

(34) *Novissima exempla*, i. e. mortem, quam frequenter appellant necessitatem *ultimam*, *ultimam* pœnam, *ultimum* supplicium.

(35) *De populis rognisque integris*, i. e. de iis, qui integri & florentes vincuntur.

(36) *Sed reversus.* Hinc patet eundem esse Mithridaten, cui Dio donatum scribit a Claudio Bosphorum, statim a principatus initio.

(37) *Consularia insignia.* Latus clavus, tunica palmata, toga picta, quæ indueret, ensis quem gereret, eburnæque sella in qua sederet. *Prætoria.* Latus clavus, toga prætexta, paludamentum, & curulis sella. Vertranus.

(38) *Quinquages restertium.* Libellæ 625000.

(39) *Circa ultima.* Intra mortem: non eo prorupit ut eam morte plecti vellet, quia *fortuito* tantum *sermone* princeps laudaverat.

(40) *Ut senatoribus ejus provincia.* Ut civibus ejus provinciæ, qui Romæ senatores essent, in patriam commeare liceret, ad res suas invisendas, eodem jure, quo senatores e Sicilia oriundi utebantur. Ceteris ex instituto Augusti non

- licebat extra Italiam peregrinari, nisi permissu principis.
- (41) *Salutis augurium*. Dio scribit modum fuisse augurii: si Deus permitteret, salutem populo poscerent augures, quæne salutem quidem petere a Diis fas sit, nisi prius ab ipsum Dii concesserint. Observabatur autem dies una tantum, in qua nullus ad bellum proficisceretur exercitus, nemo se contra pararet, nemo pugnaret: quod in assiduis periculis, maximeque civilibus, nequaquam fieri poterat. Augustus, pace orbi restituta, salutis augurium omissum tenuit, & post eum Claudius.
- (42) *Ad curias veteres*. In quibus curabant Sacerdotes res civicas.
- (43) *Biennio majorem*. Videtur legendum *triennio*, vel etiam *quadriennio*. Nam Ann. 13, 6. Nero dicitur septendecim annos egressus, cum Britannicus quartum decimum ætatis annum expleret, ut habetur eodem lib. 5.
- (44) *Nullam antebac adoptionem*. Atqui Tiberius Germanicum adoptaverat. Sed videlicet ipse Germanicus, quippe Drusi filius, erat e gente patricia Claudiorum.
- (45) *Regatæque lex*. Nempe *curiata*, ut, pro more, populus adoptionem illam juberet.
- (46) *Derolatus*. Relictus solus, ad solitudinem redactus, & privatus servorum suorum ministeriis, quorum officia per intempestivam sedulitatem supplebat Agrippina. In editis legitur *per intempestiva novevca officia*: præpositionem *per* delevimus cum Ernesto & editione prima.
- (47) *Famam sine experimento*. Famam nullo experimento, nulla re affirmatam.
- (48) *Veteranos coloniamque*. Pro veteranorum coloniam. *Deduci impetrat*. Ita codices & editi: in Lipsianas editiones vitio operarum, irrepsit *imperat*. Mox iidem codices & vetustius editi habent *Vangionas ac Nemetas*, non *Vamioner ac Nemetes*: quo modo primus dedit Rhenanus.
- (49) *Equite alario*. Sociali equitatu. Vide Ann. 3, 39.
- (50) *Ad montem Taunum*. Vide Ann. 1, 56.
- (51) *Vannius Suevis . . . impositus*. Vide Ann. 2, 63.
- (52) *Auctores fuere Vibillius*. Ita codex Flor. ut & Ann. 1, 63. Vulgo *Jubillius*. *Sido*. Hic cum *Italico* trahitur in partes Vespasiani Hist. 3, 5.
- (53) *Scriptisque P. Atellio Histro*. Lipsius censet scribendum *Palpilio Histro*: sic enim vocatur in inscriptione, quam Aldus exscripsit.
- (54) *Sarmatis Jazygibus*. Qui nunc Transilvani. Solo equita-

valebant. Vide Hist. 3, 5. Supra dedimus e codice Flor. editione prima *subsidio victis*, & *terrorem hostibus*, & nec sermonis varietatem adamat Tacitus. Vulgo & *terrori*.

Igitur degressus castellis. Ita indubitanter rescripsit Ernestus, pro vulgato *digressus*.

) *Inter se partivere*. Ita Sallustius Jugur. 43. *provincias inter se partivérant*, pro *partiti erant*.

) *Servitii ingenio*. Ipsi dominacionis, quam recentem multitudo probat, veterascentem aversatur. Infra pro *dominationes* legendum censent *dominationis* Ryckius & Ernestus: quoniam *apiscor* & *adipiscor*, sic construuntur Ann. 3, 5, & 6, 45.

) *Cinctiorque castris*. Ryckii codex habet *junctis que castris*, unde suspicatur legendum, *junctiorque castris Antoniam* (Cambdenus emendat *Aufonam*, sive *Aufonas*) & *Sabrinam fluvios cobibere parat*, nempe ab transitu Britannorum. Sensus erit Ostorium, ut Britannos septemtrionales arceret a provincia Romana, *junxisse castris fluvios*, seu castris & munitionibus amplexum esse quidquid erat spatii *Sabrinam inter* & *Aufonas* majorem & minorem, quorum alter ad ortum, alter ad occasum ita vergit, ut transversam secent insulam. Sic ripæ fluminis dicuntur *ponte jungi*.

59) *Et ductus in Cangos exercitus*. Scripti codices & editio prima, & *ductus inde Cangos*: lege & *ductus inde in Cangos*.

60) *Subsidium adversus rebelles*. Deductos ait veteranos, a quibus & illi, qui essent in armis, repellerentur, & qui in ditione, legibus & imperio Rom. assuefierent. Gronov.

61) *Catervaque majorum*. Lege cum Freinsh. *catervaque armatorum ... constiterant*, pro *caterva*. Ryckius e suo codice dedit *catervaque majore*: quod minime placet Ernesto.

62) *Servitutis aterna initium fore*. Vocem *initium* delent Lipsius & Acidallus. Capite sequenti pro *virtute inexpugnabilis*, mallet Pichena *virtuti*.

63) *Vacui a securibus*. Liberi a magistratibus Romanis, quibus fascis cum securibus præferebantur.

64) *Ferentarius gravisque miles*. Auxiliares intellige & Romanos, quorum illi pugnantes huc illuc ferebatur & discurrebant; hi statarii gradu conferto premebant hostem.

65) *Spathis*. *Spathas* Vegetius interpretatur gladios majores.

66) *Pbalera*. Vulgo scutula quædam aurea vel argentea, quibus insigniebantur frons & maxillæ equorum. Hac voce designantur etiam insignia quævis ornamenta equitum ipsorum.

- (67) *Parti a majoribus suis imperii.* Ab Augusto, cujus Agrippina pronepcis, per matrem Agrippinam, Juliae filiar.
- (68) *Ac ni cito vicis & castellis.* Muretus legebat *ac ni cito e vicis & castellis*: Sed cum in Flor. codice scriberet *ac ni cito nunciis & castellis*: Lipsius suspicabatur, *ac ni cito nunciis e castellis*. Idem infra, pro *promptissimus*, quisque manipulus, mallet *promptissimus quisque e manipulis*.
- (69) *Effugere hostes.* Haud paullo melius, quod innuit Ernestus, *& fugere hostes*.
- (70) *Sugambri.* Quos ajunt esse nunc Geldrenses, quasi Galliarum Rhenenses: traducti enim ab Romanis in citeriorem Rhenam, & mutato nomine, dicti Gugerni.
- (71) *Ut major laus compositis.* Ita Lipsius, & conjecturae minime necessariam edicti recentiores admiserunt. Alii, *Ut major laus compositi*, nempe *hostes forent*. Ut majori laude dux celebraretur, si per ipsum componerentur hostes, & ad quietem revocarentur, vel si bellare perseverarent, *venia* &c. Ita Flor. codex & veteres editi.
- (72) *No femina imperio subderentur.* Atqui Ana. 14, 35. Boudicea salutum Britannis feminarum ductu bellare testatur. Sed videlicet excipiendi Jugantes sunt, qui impetum virorum mallebant.
- (73) *Ad temporum ordinem redeo.* Vulgo *nunc ad temp.* Ernestus delevit particulam *nunc*, quae nec in scriptis, nec in editis vetustioribus comparat.
- (74) *Virilis toga Neroni maturata.* Nam ex more tum recepto non dabatur ante expletum aetatis annum 14, at Nero ineunte sumpsit. Ryckius cum Gronovio consentit legitimum tirocinii tempus sub imperatoribus & extremis republicae temporibus fuisse annum aetatis 15 incipientem, seu annum 14 expletum: at contendit primis & medijs temporibus togam virilem triennio tardius sumi solitam.
- (75) *Vicesimo aetatis anno.* Consulatum adiit aetatis 20 sed jam princeps & legum securus.
- (76) *Proconsulare imperium, perpetuum.* Vide Ann. 1, 14.
- (77) *Triumphalium veste.* Lege cum Acidalio: *triumphali in veste*. Vestes autem triumphales, toga picta, & tunica palmata.
- (78) *Insuperit populus.* Vide supra 26.
- (79) *Quos Messallina memores.* Quippe illius beneficio proventus.
- (80) *Carpeno Capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus &*

r. Mendose codices mss. habent *Et sacris Druidibus*; a ultimam vocem Pithæus ingeniose mutat in *virgini-*

Pro *mos*, Ursinus mallebat *bonos*, quod verum videtur. a quoque corrupta esse arbitramur. Nam primo, *ma-*
x pilento ad sacra ludosque, *carpentis* festo profestoque
antiquitus, ut docet Livius 5, 25. Non id igitur
ulare sacerdotibus & Vestalibus, ut in Capitolium *car-*
to veherentur. Deinde refert Dio, lib. 60, Messallinæ de-
um a senatu *primum in consessu locum, utque carpen-*
veberetur. Quod idem ait Agrippinæ concessum, *ut car-*
to in pompa circensi uteretur. Libenter itaque legeremus,
rento circum ingredi. *Carpenta* autem vehicula fuerunt
to arcuato, duabus rotis instructa. *Pilenta* rotis quatuor
tructa erant, pensilia, & contexta desuper, sed in lateri-
s aperta.

Imperatore genitam, Germanico, non quidem imperato-
sed imperatoris dignitatis herede designato: *sororem Cal-*
ulæ, conjugem Claudii, matrem Neronis.

1) *Unicum* *exemplum est*. Apud Romanos scil. nam
ijus rei plura potuerunt esse exempla apud Ægyptios alios-
que barbaros.

2) *Modestia biemis*, qua licuit frumenta Romam advehi-
ntra pro *ex Italia regionibus* *commeatus portabant*:
vallemus cum Ernesto, *ex Italia legionibus* . . . *commea-*
us portabatur. Et favet codex Flor. in quo scribitur *Ita-*
lia & portabat.

3) *Potentia prompta*. Ad rem aggrediendam paratæ. Freins-
nemius mallet *potentia properum*, scilicet apiscendæ.

4) *Ornante*. Opibus & adjumentis ad id instruentem.

5) *Prælianti sibi adversus regem Albanorum*. Hæc bella
videlicet Tacitus narraverat in rebus Caligulæ, aut Claudii
incipientis.

6) *Scolere & pecunia verterentur*. Pro *everterentur*. Ita
codex Budensis apud Rhenanum, & eodem alludunt Flor.
& editi veteres, ubi legitur *uterentur*. Puteolanus induxit
venderentur.

7) *C. Hummidium Quadratum*. Mendose scribitur in codi-
cibus *Tummidium*. Lipsius dederat *T. Numidium*, & id
amplectitur Ryckius. Sed in lapidibus *Ummidiorum* mentio
frequens, nulla *Numidiorum*.

8) *Armis incruentas condiciones malle*. Hoc est, quam
arma. In vulgatis vitiose legitur, *armis, quam incruentas*

- conditiones malle: sed vocem quam e libris veteribus Ursinus, probante Gronovio.*
- (90) *Prasidium abituros.* Variant hęc codices. In Flor. tur *prasidium ammis: unde Frēinsh. conjicit legendum: sidium omissuros.*
- (91) *Provisum ... imperatum.* Redundat vox alterutra: rem Jac. Gronovius mutat in *promissum*, quod scilicet Damistus promississet, seu promississe Diis se fingeret.
- (92) *Mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit, se effuderit,* Flor. codex & editi ante Rhenanum *hæc suffuderit: unde Heinsius deleta præpositione in, legendus artus extremos suffuderit.* Sensus est, pollices ita arctari, ut in extremo sistatur sanguis, & cutis plenissima roborem exhibeat.
- (93) *Compede ... trahabatur.* Tangit scilicet Tacitus mos Romanum. Injctæ, inquit, catenæ, immo & oblonga compede per viam trahabatur; qui mos apud Romanos quidem receptus est in custodia militari: at apud barbaros dedecorabatur & ignominie summæ.
- (94) *Quam si cum gloria adeptus foret.* Tunc enim seditionum ac turbarum procellis minus pateret.
- (95) *Ne ceteri quoque ex Peligno conjectarentur.* Ne idem de ceteris Romanis ac de Peligno existimaretur, eos si Rhadamisti facinus probare.
- (96) *Placida illuvie.* Videtur legendum *eluvie*, quemadmodum Ann. 3, 57. idque docet Gronovius ad Livium 1, 4.
- (97) *Publica cura.* Procurante ipsa civitate.
- (98) *Ut ignaro domino ad id prolapsa, in servitute; si consensisset pro liberta haberetur.* Ita Codex Flor. cum Jac. Gronovio & Ernesto. Consentit & codex Farnesianus. Altea legebatur nullo sensu: *ut ignaro domino ad id prolapsa in servitutem sui consensisset, & qui nati essent, pro libertis haberentur.* Hoc senatusconsultum Claudianum Suetonius Vespasiano tribuit in ejus vita 21, quod scilicet hujus auctoritate repetitum sit.
- (99) *Centies quinquagies sestertium.* Lib. Tur. 1875000. Videtur omnino de hac re Plinium juniorem Epist. lib. 7, 29, & 8, 6.
- (100) *Et fixum est are publico senatusconsultum.* Hęc codex Florentinus lacunam agnoscit, quam supplevit manus recens adscripta voce *are.* Ryckii codex sine lacunæ suppositione exhibet, & *fixum est publice senatusconsultum.*
- (101) *Sestertii sex millies.* Lib. Tur. 3750000.

- 2) *Postquam, cognita cade ejus, haud obtemperatum esset.* Quidam loco ejus legunt *Caji*. Nihil melius videtur conjectura Gronovii emendantis: *quamquam cognita cade Caji, edicto ejus haud obtemperatum esset.* De illo Caji edicto vide Hist. 5, 9.
- 3) *Cui pars provincia habebatur: ita divisis.* Lege cum Gronovio, *cui pars provincia habebatur, ita divisa.* Vide Josephum Antiq. 20, 4 in multis a Tacito dissentientem.
- 04) *Claudius triremes quadriremesque.* Lipsius censet reponi numerum debere ex Diono, *centum triremes quadriremesque.*
- 105) *Classarii.* Sontes ad pugnam damnati. Hos Rhodiæ & Siculæ classis nomine concurrisse inter se scribit Dio quinquaginta navibus testis, seu triremibus & quadriremibus, quæ habiles ad pugnam.
- 106) *Cblamyde aurata.* Quam Plinius testis oculatus *aurato tili sine alia materia* fuisse scribit lib. 33, 3.
- 107) *Haud satis depressi.* Emissarium nempe, seu fossa emittendæ aquæ percussa haud satis erat depressa, nec per eam exhauriri poterant imæ vel mediæ partes lacus: super eas igitur inditi pontes sunt ad pedestrem pugnam.
- (108) *Convivium.* Cœnatio ad convivandum exstructa prope effluvium seu emissarium lacus. Vide Suetonium in Claudio 32.
- (109) *Uterioribus.* Nempe ædificii partibus.
- (110) *Nitesceret.* Flor. *onitesceret.* Neronis matrimonium & actas ab eo causas ad quintum Claudii consulatum refert Suetonium, hoc est toto anno ante. Vide in Nerone 7.
- (111) *Centis sortertii.* Libellarum Tur. 1250000.
- (112) *Apamiansibus.* Plures fuerunt Apamæ: videtur hinc Tacitus loqui de Apamea Phrygiæ ad Mæandrum.
- (113) *Indignasque sordes.* In codice Ryckli, ut & regio scribitur *indignasque sortes*: unde effecit Heinsius quod post Ernestum damus. *Indignæ sordes* sunt immeritus reatus, indigna accusatio.
- (114) *A procuratoribus suis.* Procuratores Cæsaris equites erant, aut etiam liberti, quorum proinde nulla esse debuisset jurisdictio, quippe quæ magistratibus solis, prout magistratibus a senatu missis competeret, non vero equitibus, & multo minus libertis. Horum duo genera fuerunt, cum in provinciis, tum circa principem ipsum. Alii publicæ rei præpositi, aut minorum provinciarum, puta Ponti, Epiri, Thraciæ, retores instituti, jus in crimine & causa capitis dicebant, nec sane mirum valuisse eorum judicata. Alii rem familiarem

imperatoris attingebant, aut in provinciis proconsulum & legatorum tributa pecuniasque familiares principis colgebant. Ad hos præsertim referendum esse edictum Claudii, = ipsa Taciti narratione recte colligit Ernestus.

- (115) *Decretaque eorum proinde haberi.* Vox *proinde* minus displicebat Pichenæ. Codex Guelpherbytanus habet *proinde*. Infra *pro bellarum*, quod Rhenanus invexit, dedimus *causæ*: scriptis omnibus *bellarent*.
- (116) *Quæ (studia) vicerant, publice valebant.* Ita scripti & editi omnes ante Lipsium, non *qui vicerant*. Pichenæ auctoritatis jus apud optimates erat aut plebejos, *proinde* vel illi vicerant.
- (117) *Mator posthac & Vedior.* C. Marium intelligit, & Vedium Pollionem, Augusti familiares. De posteriore vide Ann. 1, 10.
- (118) *Et tantum dei ministrant.* Et Æsculapii cultui ac ministerio unice devotam.
- (119) *Adjutum Antonium.* Antonii triumviri patrem, qui curator oræ maritimæ, sub initia belli piratici.
- (120) *Prævisa locorum utilitate.* Hoc est, prætervisa, parum visa: quo sensu Horatius, *Cum tua prævideas oculis male lippus inunctis*.
- (121) *Vis piscium innumera.* Pelamydes intellige, de quibus Plinius 9, 15.
- (122) *Tetratio.* Quod duce Poppæo Sabino adversus Thracæ montanos gestum est Ann. 4, 46. *Bosphorano*, cum rege Mithridate, supra 15.
- (123) *Biformes hominum partus: & suis fetum editam.* Ita scripti codices, & veteres editi, non *fetum editum*. Sabauditur *nunciabant, fenebant*.
- (124) *Minore Antonia genita.* Vide Ann. 4, 44.
- (125) *Agrippina sobrina prior.* Agrippinæ uno gradu propinquior, quam sobrina: erat enim consobrina Germanici, patris Agrippinæ.
- (126) *Dare imperium, tolerare imperitantem nequibat.* In priori membro supple ex sensu *quibat*, ita ut negatio ad posterius tantum referatur. Sic Ann. 13, 56. *Diverse nobis terra, in qua vivamus, in qua moriamur non potest.* Vide Gronov. Observ. 4, 2.
- (127) *Conjugium, i. e. conjugem,* ipsam Agrippinam. Sic matrimonium, pro marito, vel uxore: servitium pro servo. Flor. tamen & regius habent *conjugem*, & sic forte scripsit Tacitus, vitandæ amphiboliæ causa.

- (128) *Convictam Messalinam & Silium*. Nempe insidiarum in principem. *Pares iterum accusandi causas esse* in Agrippinam, *si Nero imperitaret*, seu destinaretur successor. In sequentibus *Britannico successore, nullum principum meritum, ac noverca &c.* videtur admittenda Ferratii conjectura. *Britannico successore, nullum principum meritum; ac noverca &c.* Si pro Nerone Britannicus patri successor destinaretur, jam nihil Claudio metuendum. At nunc insidiis Agrippinæ novercæ &c.
- (129) *Matris etiam interfectores ulcisceretur*. Ab ipso Narcisse mortis maternæ pœnas reposeret.
- (130) *Et diu inter instrumenta regni habita*. Et cujus ministerio dudum usi sunt Nero & Agrippina, firmando deim imperio.
- (131) *Dum res firmando Neronis imperio componuntur*. Variant hîc codices. Florentinus: *dum res forent f. N. i. Regius, dumque res forent &c.* Ernestus conjicit legendum *dum qua forent firmando Neronis imperio &c.*
- (132) *Tempus prosperum*. Auspicando scilicet imperio: quod tempus ex promissis Chaldæorum jam proxime aderat.
- (133) *Ad exemplum paterna largitionis*. Ex Suetonio 10. Claudius prætorianis promiserat singulis *quinq; dena sestertia*: pecuniæ nostræ libellas 1875.



**IN LIBRUM DECIMUM TERTIUM
ANNALIUM NOTÆ.**

- (1) *Mors Junii Silani.* Is Appli Junii Silani, & Æmilie Lepidæ Augusti proneptis filius fuit: de quo Plinius lib. 13. *Augustus in reliqua exemplorum raritate, neptis suæ nepotem vidit genitum quo excessit anno, M. Silanum, qui cum Asiam obtineret post consulatum, Neronis principis successione, veneno ejus sublatus est.* Infra præparatur videtur legendum cum Freinshemio prætratur, sic enim solet Tacitus.
- (2) *Exitum irritaveras, Vulgo exitum irritaverit. Sed cum Ernesto sequimur consensum eruditorum in voce exitium, & codicem Guelferbytanum in voce irritaverat.*
- (3) *Pecudem auream.* Errat Dio, cum lib. 60 scribit id dictum a Caligula fuisse de M. Silano ipsius socero, viro sane minime segni, nec aliis dominationibus fastidito, quique nihil pertinebat ad domum Augusti. In eum igitur qui eadere poterat dictum Caligulæ, tamquam in hominem genere & divitiis insignem, sed ignavum, & meram oviculam?
- (4) *L. Silano nocem molita.* Vide Ann. 12, 4, & 8.
- (5) *Et, rarum in societate potentia, concordēs.* Sic e vestigiis Flor. codicis, regii & editionis primæ, emendavit Boxhornius, & probat Gronovius. Ejusdem locutionis exempla vide Ann. 1, 39, & 56. Est autem hæc codicum lectio: *Et parum in societate potentia & concordēs: editorum: & pari in societate potentia concordēs.*
- (6) *Infra servos.* Neroni non erat ingenium tam humile, ut servis parere posset, sicuti Claudius.
- (7) *Decreti & a sonatu duæ lictores.* At Tiberius Ann. 1, 14. ne unum quidem lictores Livie decerni passus est: *flaminium Claudiale:* ut nimirum Agrippina Claudii flamina esset, exemplo Livie & Antonie, quæ Augusti. De consorio funere vide Ann. 4, 15.
- (8) *Contendere.* Conferre, inter se comparare.
- (9) *Consulum tribunalibus . . . adisterent.* Oræ in Italia & in populi provinciis controversiæ judicio consulum & senatus permitterentur.

- 0) *Mandatis*. Quorum cura sibi credita esset.
- 1) *Edendi gladiatorum necessitas*. Vide Ann. 11, 22.
- 2) *Ut adstaret abditis a tergo foribus*. Ut deliberantibus adesset stans ad fores abditas & secretas in parte cubiculi postica.
- 3) *Burrum tamen &c.* Id saltem commodi accessisse, quod Burrus & Seneca &c.
- 4) *Auspiciis... quam telis... gerit*. Per legatos sive ministros, quam per ipsum principem armatum confici. Subauditur vox *magis* ante *quam*, per ellipsim Tacito familiarem. Sic infra, *si ducem amosa invidia egyptium*, supple *potius*, *quam si &c.*
- 15) *Juventutem... admovere, legiones... collocari*. Pichena legit *admoveri*, ut *collocari*. Infra pro *Agrippam & Antiochum*; codices mendose *Agrippam & Jocum* vel *Lochium*. Correxerit Lipsius ex Tacito, qui infra 37 *Antiochum* Comagenæ regem nominat in auxiliis Corbulonis.
- [16] *Domitium Corbulonem*. De quo vide Ann. 3, 31, & 11, 18, & 20.
- (17) *Ægeas*. Alii malunt *Ægas*: hujus enim urbis nomen diversimode scribitur.
- (18) *Specie inanium*. Id intellige de proceritate corporis, de verborum magnificentia &c.
- (19) *Solitam prioribus*. Nempe Parthorum regibus.
- (20) *Accepitque eos centurio Histejus*. Lipsius & alii interpretes censent scribendum *Instejus*. Nam variant codices in quibus scribitur *Histius*, *Histejus*, *Historius*. Lipsio videtur idem qui infra 39 dicitur *professus castrorum*, qui que honore potuerat interea augeri.
- (21) *Julius Demetrius equester*. Equestri loco, seu equestri ordinis. Sic Ann. 12, 60. *apud equestres, qui Ægypto praesiderent*.
- (22) *In Acta principum*. Jurabant enim in acta non unius tantum principis qui imperitabat, sed & priorum, nisi si quis sceleribus & flagitiis aliter meruisset, ut Tibertius & Caligula.
- (23) *Ordine remota*. Vide Ann. 12, 30, & 36.
- (24) *Vel jactandi ingenii*. Supple *causa*; ut testificaretur, *quam honesta preciperet*, vel ut jactaret ingenium.
- (25) *Cui vocabulum Adde*. Hanc in Asia natam Nero, ut ejus splendorem adstrueret, genus ab Astalo ducere ferebat.
- (26) *Ne senioribus quidem*. Scripti codices & editio prima legunt *ne senioribus quidem*.
- (27) *Seque Seneca permitteret*, i. e. exuto in matrem ab-

- quo, totum se in administranda rep. committeret Seneca ejusque consilii uteretur. Ita Muretus, Lipsius & alii agunt, cum in codicibus vitiosa scribatur, *seque non v. neci committeret*. Malunt Pichena & Gronovius *Senecam* *permitteret*, nempe exui obsequium in matrem: sed ex illis quæ leguntur supra 3, & 5 satis apparet Senecæ viæ quam placuisse Neronis obsequium in matrem.
- (28) *Orabantque cavere insidias*. Sic Flor. ut Ann. 12, 41 *monet celerrime*; & 16, 11 *nunciat patri abjicere spem*. Et *uti necessitate*, & alibi sapius. Nihil ergo necesse est cum Rhenano & Pichena reponere *caveres*.
- (29) *Rerum, quæ a Claudio impositas*. Claudio fuit a rationibus. Vide Plinii epistolas lib. 7, 29, & 8, 6.
- (30) *Velut arbitrum regni agobas*. Hic & hist. 4, 21. Flor. codex habet *arbitrium*. Sic Livius 24, 45 *hominis & quoque arbitria agere*, & Vellejus, *principaliū armorum arbitria captans*. Utrumque recte dicitur, & eodem redit.
- (31) *Ut ejuraret*. Ut solvendo imparem se jurejurando profiteretur, deceptorum exemplo, qui bona sua creditoribus relinquunt.
- (32) *Parasque rationes cum repub. haberes*. Nec quidquam deberet reipub. velut si acceptorum & expensorum par esset ratio.
- (33) *Debilis rursus Burrus*. Ita Gronovius. Vulgo *inde debilis rursus*: quia in Flor. scribitur *indolebilis rursus*. Sed vocis *inde* vice fungitur *rursus*.
- (34) *Ut quidem experimento*. Mallet Freinshemius *levi quidem experimento*.
- (35) *Regnum lusu nempe talorum sortitionum*. Sic Horatius: *Nec regna vini sortiere talis*.
- (36) *Olim provisum erat*. Vide Ann. 12, 41.
- (37) *Sedentes vesci*. Ad fulcra lectorum, non accumbentes. Vide Suetonium in Claudio 32, & in Augusto 64.
- (38) *Parricidii exemplum*. Quo in ipsam matrem uteretur.
- (39) *Insociabile regnum estimantes*. Ita Beroaldus & Pichena, & favent codices calamo exarati. Vulgo *existimantes*.
- (40) *Gravissimam adseverantes*, i. e. constanter præ se ferentes. In Senecam & Burrum criminatio.
- (41) *Quæ ut conjugii imperatoris solitum, & matri servabantur*. Hanc Flor. codicis lectionem revocavit Ryckius, nisi quod pro *ut matri*, scripsit e suo ms. *& matri*. Lipsius divinarat *quæ ut conjugii imperatoris olim, tum & ut matri servabantur*.

- 3) *Supra, vetuli.* Ann. 11, 12. Hanc Reinesius existimat
 iliam M. Junii Silani, quem Caligula interemit, sororem
 unius Claudie, quæ prior Caligulæ conjux, Ann. 6, 20.
- 4) *Pari ac Novo gradu a Divo Augusto.* Rubellius Plautus
 patrem habuit Rubellium Blandum, matrem vero Juliam
 Tiberii ex Druso neptem. Vide Ann. 6, 27. Drusi autem
 uxor fuit Livilla soror Germanici. De Rubellio Plauto, cui
 uxor Pollutia, vide Ann. 14, 22, & 59, & 16, 10.
- 14) *Conjugioque ejus potiri, ac.* Alii legunt *conjugioque ejus
 etiam imperio.* In mss. est *perio*, vel *potiri ac*, unde Pi-
 chena legebat, *conjugioque ejus etiam pacto.* Lenior est
 conjectura Gronovii reponentis, *conjugioque ejus, & jam
 imperio*, i. e. mox vel statim.
- 45) *Fabius Rusticus.* *Livius veterum, Fabius Rusticus
 recentium eloquentissimi scriptores*, inquit Tacitus in Agri-
 colæ vita 10.
- (46) *Plinius.* Major, qui a fine Aufidii Bassi historiam sui
 temporis triginta & uno libris complexus erat, teste Plinio
 juniore epist. 3, 5. *Cluvius*, qui & horum temporum hi-
 storiam scripserat, eodem Plinio teste, Epist. 9, 19.
- (47) *Refutare tenebras.* Horum verborum, si sana sunt, sen-
 sus esse potest: quam vocem unius Paridis ex inimica Do-
 mitiæ domo, rejici debere, quippe in tenebris auditam. Lip-
 sius pro *refutare*, legebat *reputares tenebras* &c. hoc sen-
 su: ne gravius aliquid in matrem statueret, alieno tempore,
 cum cogitandi & judicandi facultatem adimunt tenebræ,
 nox vigilata convivio &c.
- (48) *Aus mihi infamia parricidii*, cogitati in filium princi-
 pem, *aut Casari conscientia parricidii perpetrati in matrem
 subunda est.*
- (49) *At si Plautus.* An ego possim sperare securitatem sub
 Plauto aut alio quovis principe, qui de me, si accuser, ju-
 dicaturus sit? quam mihi sub filio non desint accusatores,
 qui non deferant quod lugeam privignum, aut nurus vicem
 doceam, *verba impatientia caritatis aliquando incauta*,
 (Vide supra 14.) & sic facile excusanda; sed quod alium
 conjugio imperioque destinem: hoc est, *ea crimina obficiant*,
quibus nisi a filio absolvi non possim: nam vocem *mater*,
 quam edici subjungunt *filio*, ignorant Florentinus & prima
 editio. Ita hunc locum illustrat Gronovius Observ. 1, 22.
 Alii per *crimina* intelligunt ea facinora quibus filio mater
 imperium adepta est.
- (10) *Nec beneficiis.* Aut adde, aut intellige *de*.

- (51) *Et variis*. Lege cum Gronovio *qui variis*, vel p̄is cum Heinsio *sed variis*.
- (52) *Exercendis ... sectionibus*. Sectiones dicebantur venditiones & emptiones bonorum, quæ sub hasta veniebant: bona autem damnatorum veniebant apud ærarium. Is potest dici *exercere sectiones*, qui auctionibus illis præerat, vel etiam qui in ejusmodi auctionibus multa coemit.
- (53) *Obliterata ærarii monumenta retraherebat*. In scriptis & edicis mendose legitur *monimenta*, quæ quid aliud sunt, quam tabulæ. Lege cum Ernesto ex emendatione certissima Gronovii de pecunia vetere 4, 3. *obliterata ærarii nomina retraherebat*; scilicet debita ærario, vetustate abolita, vel jam soluta, iterum petebat.
- (54) *Urbem ... lustravit*. Nempe suoveturilibus, ex more Romano.
- (55) *Ad venditionem exposita*. Noctu grassabantur, sed nimirum, effractis tabernis, res venales rapiabant. Caterum hæc locutio mendæ suspecta J. Gronovio, qui putat Tacitum scripsisse *venum exposita*, quam vocem sciolus aliquis produxerit, ut faceret *venditionem*. Certe præpositio *ad* abest a codice Flor. Prima editio præfert *venditioni*, idque mallet Ernestus.
- (56) *Nondum honorem capessisset*. Nullum adhuc magistratum cepisset, essetque tantum laticlavius. Augustus enim *liberis senatorum, quo celerius resp. adnascerent, protinus virili toga latum clavum inducere, & curiæ interesse permisit*. Suetonius. Infra cum J. Gronovio dedimus *quis vitiantem*, ex codice Flor. & editione prima, ubi scribitur *quia vitiantem*. Vulgo inde a Puteolano, *quis vitiantem*.
- (57) *Ludicram ... licentiam, & fautores*. Pro *ludicram licentiam fautorum bistrionalium*.
- (58) *Revocanda libertatis*. Claudius *libertinos ingratos, & de quibus patromi quererentur, revocavit in servitutem*, ut habet Suetonius in Claudio 25: sed nimirum ea verba non legem ea de re latam, verum privatas causas iudicio Claudii diremptas innuunt.
- (59) *Relationem incipere*. Rem ad senatum referre, & de ea sententias rogare, *ignaro principe, non ausi sunt: percipere tamen consensum senatus: ille an auctor foret* &c. Hæc est lectio codicis Flor. quæ nobis potior videtur: quæ enim sequuntur, videntur pertinere ad deliberationem privatam ea de re initam a principe inter paucos adsentientes &

diversos: sed in iis & in sequentibus quæ mens scriptoris fuerit indicare, aut ad eam mentem verba corruptissima reingere frustra quis tentet sine libris. Vir doctus in exemplo *Eryph.* pro *vine an equo jure* &c. sic correxerat, ut *ne equo cum patronis jure agerent; sed jam coram insultarent, ac verberibus manus ulro intenderent, impune, vel æna sua gaudentes.*

5) *Vicesimum ultra lapidem.* Immo centesimum, quod monuerunt Lipsius, Salmasius & alii. Ratio est, quia præfectus urbis, ad cujus jurisdictionem querelas patronorum de libertis pertinuisse docet Ulpianus, intra centesimum lapidem cognoscebat, & ultra hunc præfectus prætorio. Deinde Campania, in qua liberti, si qui relogarentur, sedem eligebant, tamquam in amœnissimo totius Italiæ tractu, ab urbe distat centum & septem milliaribus.

(61) *Decurias.* Scribarum, ut Lipsio videtur, ad quas cuivis, licebat pretio pervenire. *Ministeria:* viatores, lictores, præcones, & ceteros magistratuum vel sacerdotum ministros.

(62) *Manumittendi duas species.* Pater familias servos poterat privatim inter amicos manumittere: sed ii justam demum in libertatem vindicabantur virga, quam ideo *vindictam* vocabant. Manumissi caput hac virga tangebant Romæ prætor, in aliis locis quilibet magistratus qui esset cum potestate. Vide Plinii Epist. 7, 16.

(63) *Ereptus amita libertus Paris.* Peride enim asserto in libertatem per judicium ingenuitatis, Domitia jus anūtebat patronatus.

(64) *Comprobare.* Scilicet prætoris factum. Quid si legas *composuere*, & ad certamen ortum referas?

(65) *Ne quid intra domum.* Ne cum domi essent, aliquid inde juberent, aut in civem quemquam animadverterent, sed ex publico tantum loco.

(66) *Jur hasta.* Cum quis auctionari vellet.

(67) *Extra ordinem honores promisit.* Ædilitates, præturas, quas, ararii munere defuncti, adipiscerentur, atque inæritim tamquam designati magistratus haberentur.

(68) *Deerat robur ætatis.* Tunc enim quæstoria ætas annus 25, antea 27. Vide ad Ann. 22, 41.

(69) *Velut infimam nationum.* De remigibus intelligendum, quorum opera contemptior.

(70) *C. Aminius Rebilus.* Dubitat Lipsius an sit legendum *Caninius Rebilus.* Certe *Caninio* consulari sub Caligula

tribuuntur, quæ hinc C. *Aminio Rebio*, magna opes, et tæque infamia, a Seneca de beneficiis 2, 21.

- (71) *Inoffensa . . . malitia*. Lege cum Lipsio *amicitia*.
- (72) *Quadringtoni nummi*. Libellæ Tur. 50. *sestertium quadringtonis*. Libellæ 500000.
- (73) *Spæcti magis, quam re*. Mancipiorum vectigali in vectores, qui fere extranei & advenæ, translato, videbantur exonerari emptores, qui plerumque cives Romani: sed videbantur tantum.
- (74) *Lurii Vassii*. Ita codex Flor. Ryckianus scribit L. Virius, quod verum videtur. *Lurii* nomen gentile, non prænomen.
- (75) *Superstitionis externa res*. Hanc christianam fuisse existimant Rudolphus, Rhenanus, Lipsius: quippe S. Paulus superiore anno, Neronis secundo, Romam appulerat. Inf. *pronunciavit*, mallet Ursinus *promunciavit*.
- (76) *Per quadraginta annos*. Nempe ad finem usque vitæ, quæ longa fuit. Sine causa ergo Lipsius reponerat *per quadraginta annos*. Hic enim non finis Pomponiæ, sed longa ipsius vita, occasione ejus accusationis, commemoratur.
- (77) *Porvicaci accusatione*. Ejus accusationis meminit Quintilianus, & ex ea laudat hanc sententiam, *erubescit Cæsarem timere*.
- (78) *Quingenis sestertiis*. Libellis Tur. 62500.
- (79) *Dati a se regni*. Vide Ann. 12, 50.
- (80) *Munia Romanorum*. J. Gronovius putat fuisse *Re armorum*: inde factum *Romanorum*.
- (81) *Equitibus alariis*. Equitatu sociali, & peditatu cohortium socialium.
- (82) *Præviguisse manus*. Secundum *manus*: Græca locutio.
- (83) *Capite panas luebat*. De severitate Corbulonis vid. Ann. 11, 18.
- (84) *Principili*. Centurionatus primi ordinis Triariorum, qui antiquitus dicti erant *Pilani*, quod præcipuum ipsorum telum, *pilum*. Is autem centurio totius legionis centurio primus, & magnæ dignationis.
- (85) *Huc quoque & illuc volitans*. Videtur legendum cum Lipsio & Gronovio, *hucque & illuc volitans*. Et sic melius coheret oratio.
- (86) *Gens baud alias socia*. Hæc lectio magis placet Lipsio. Alii legunt *gens ante alias socia*: nostro scilicet temporis socii & fidi super alios, etsi *sunc primum illæti*.

-) *Dissimulato tamen intellectu.* Intellectus passivo sumitur pro re intellecta, seu intelligentia insidiarum.
-) *Ita testudinem conglobatos.* Scutis supra capita densatis rotetos & confertos.
-) *Unde eminus glandes torquerent.* Hinc ad libratores & d funditores referantur: itaque videtur cum Lipsio legentium, unde eminus lapides & glandes torquerent: libratores enim non glandes, sed tela & lapidas torquebant: quantum Ernestus *glandium* nomine *lapidas* quoque intelligi posse existimet.
- o) *Pari undique motu.* Nempe oppugnantium. Ita e codice Flor. & veteribus editis testitur Jac. Gronovius: recentiores *pari undique motu.*
-) 1) *Dato die,* i. e. primo die dato, cum illuxisset.
-) 2) *Si laxare ordines.* Si efficere posset, ut Romani ordines laxarent, ac deinde ipse huc illuc dissipatos persequeretur.
-) 3) *Quia nec teneri.* Supple *poterant*; vel lege cum Grotio *teneri*, quod regi poterit a verbo proxime sequenti *erat*; constructione infrequente magis, quam ignota, inquit Gronovius.
- (94) *C. Cassius.* De quo vide Ann. 12, 12.
- (95) *P. Sullius.* De quo vide Ann. 4, 31, & 11, 5.
- (96) *Senatusconsultum, pannaque Cincia legis.* V. Ann. 12, 6, & 7.
- (97) *Illam domus ejus adulterum.* Relegatus enim Seneca post questuram a Claudio, ob suspicionem adulterii cum Julia Germanici filia, Vinicii uxore.
- (98) *Ter millies sestertium.* Libellas Turonenses 37500000.
- (99) *Veterem, ac olim partam.* Alii legunt *domi partam.* Ita emendavit Jac. Gronovius ex codice Flor. in quo scribitur *veterem ac do partam*: idque precedentibus aptum magis quam vulgata lectio, *veterem ac diu partam.*
- (100) *Inquisitionem annuam.* Unius anni spatium, ut Asiam peragrarent, criminaque & testes in Sullium conquirerent.
- (101) *Q. Pompejum.* Is appellatur Ann. 6, 18. De bello civili, ad quod sit detrusus, alia nulla mentio in his libris. Videtur illud intelligi, quod a Scriboniano motum est ante Claudii secundo. Vide Plinii Epist. 3, 16. Aliorum, qui sequuntur fere mimimit Seneca in Iudo de morte Claudii. Vide & Suetonium in Claudio 29.
- (102) *Admissa horribili parte.* Nempe dimidia, qui sensus hujus vocis, quoties absolute sumitur. Igitur pro *matris aut*

- avi*, dedimus cum J. Gronovio ex codice Flor. *matris a avia*: idque conjectura præcepit Freinshemius.
- (103) *Libidini seposita*. Ut vult Gronovius & alii. Sequitur *et questu incensus*, mendæ arguit codex Flor. in quo scribitur, *et quartum census*, quod sic refingit Ernestus, *aperta infensus*. Infra pro *ultum esse*, mallet Lipsius *esse*.
- (104) *Lex de sicariis condemnatur*. Ademptis bonis omnibus in insulam deportatur. Hæc enim pœna legis Cornelie de sicariis.
- (105) *Inlustri memoria Poppai Sabini*. De quo Ann. 64 16.
- (106) *Sive amore incautus*. Ab his discrepat Tacitus Hist. 1, 23. *Gratus Orbo Neroni amulatione luxus, eoque jam Poppeam Sabinam, principale scorum, ut apud conscientiam libidinum deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur*. Idque Suetonius in Othone 3, & Plurarchus in Galba sequuntur.
- (107) *Sibi concessam diligitans nobilitatem, pulchritudinem*. Pro uxore nobili, pulchra. Vox *diligitans* offendit interpretes serius posita. Heinsius legebat *sæpe auditus est, cum surgens e convivio Casaris . . . sibi concessam diligitaret* &c.
- (108) *Corneliam Sullam*. Qui genet Claudii per nuptias Antonie, supra 23.
- (109) *Ordo*. Decuriones. Sic Romæ senatum vocabant *ordinem* amplissimum. Vulgati Puteolanum sequati, voce una ætiores, legunt *senatorius ordot* quæ vox abest ab omnibus mss. & editione prima.
- (110) *Egredi numerum edendis gladiatoribus finitum*. Augustus edixerat ne sæpius quam bis in anno gladiatores darentur, neve ultra paria sexaginta.
- (111) *Quibusque aliis res Romana continetur*. Sic aptius esse monet Lipsius: siquidem alii legunt *quibusque aliis Romana continentur*.
- (112) *Relationemque in ea postulare*. Et petere ut de iis ad senatum referatur.
- (113) *Quod si summa*. Sic plane legitur in Flor. codice. Quod si ea, quæ summa sint, *dissimulatione transmittentur*. *Summa* opponit *inanibus*. Editi vulgo male, nec ad mentem scriptoris, *qua si summa* &c.
- (114) *Sublatis portoriis*. Portoria hæc late sumuntur, pro quibuscumque vestigialibus: vestigialia autem constabant vel ex

ecumis, quæ a publicorum agrorum aratoribus exigebantur, et ex portoriis, quæ pro mercibus illatis aut exportatis, et ex scriptura, i. e. ex pascuis locatis: item ex vicesima orum qui manumittebantur, & ex aliis etiam minoribus rebus. In eo autem vectigalia differunt a tributis, quod illa pro agris, mercibus, aut aliis hujusmodi rebus; hæc in capita, & pro ratione census exigebantur.

(15) *Vectigalium societates*. Socii vectigales dicebantur, qui una conducebant publica. Hæc vectigalium societates nihil aliud sunt, quam ipsa vectigalia, ipsa publica, quæ illæ societates redimebant & exercebant.

(16) *Ad invidiam verterent*. Supple *se*, pro verterentur, ut mos Tacito frequens.

(17) *Ut leges cujusque publici*, i. e. vectigalis cujuscumque generis, *proscriberentur*, proponerentur in publicum, unde discerent, a quibus exigebatur, quid deberent, quid non deberent.

(18) *Quadragesima quinquagesimaque*. Rerum illatarum aut exportatarum.

(19) *Ante tres & sexaginta annos*. Monet Rycklus legendum *ante sex & sexaginta*. Nam a morte Drusi ad hoc tempus totidem anni sunt. De illo aggere vide Hist. 5, 13.

(20) *Connectere parabat*. Id quoque utile, magnum, & plane regium opus nostra memoria destinarat animo dux Lotharingæ Leopoldus.

(21) *Quasi impetus antiqui*. Quod id esset velut *impetus antiqui*, & *bona amulatione* fieret. *Impetum* vocat repentinum animi ex honesto motum. *Antiquum* dicitur, quod quodammodo excedit modum seculi præsentis, & antiquitati laudatæ par est.

(22) *Servarent sane receptos gregibus*. Nempe agros gregibus sepositos ad pascua: *inter hominum famam*. Hæc verba, quæ codices servant, egregie tuetur Gron. Observ. 1, 4, & *ipsos homines* interpretatur. Alii cum Freinshemio malunt *famam*, cujus hinc mentionem fieri quid attinet?

(23) *Neque alios judices, quam seipsum*; scilicet *duos patrentur*. Alii legunt *quam ipsos*. Pronomen *se* ignorat Mædæus, & ex conjectura debebat Gronovius.

(24) *In ipsos verterentur*. Editi *vertebantur*. Correkt J. Gronov. ex codice Flor. & sic habet editio prima.

(25) *Civitas Jubonum*. Populi nusquam alias memorati. Flor. & Rycklii codex scribunt *Vibonum*; unde Helmsio in

mentem venit legendum esse *Ubiornum*, & coloniam *Agrippinensem* intelligi, quam nuper *Agrippina* deduxerat.

(126) *Non steridalibus aquis, aut quo alio humore.* Ita 7 ne codex Flor. & editio prima. Vulgati, *non si flumina, aquis, aut quo alio humore* nitentur: quæ duo addimenta cum *Ernesto* deleuimus.

(127) *Octingentos & quadraginta ante annos.* Monet *Lipsius* errorem esse in numero annorum, legendumque *octingenta & triginta ante annos.* Nam a nativitate *Remi & Marci* ad *Romam* conditam interfuere tantum anni circiter ginti.



LIBRUM DECIMUMQUARTUM
ANNALIUM NOTÆ.

C. Vipstano. Hujus consulis nomen ex fragmentis inscriptionum fratrum Arvalium restituit Gronovius. Vulgo *Vipstano*, vel *Vipstano*.

) *Triumphales avos.* Unum modo Poppæum Sabinum, de quo vide Ann. 4, 39.

) *Verum animum.* Ryckius interpretatur verum adfectum, ut Hist. 1, 15 *Blanditiæ, pessimum veri adfectus venenum.*

) *Injurias patrum.* Quas ab Agrippina illatas patres ægerime ferant.

) *Medio diei.* Nero enim epulas a medio die ad mediam noctem protraherat, teste Suetonio in Nerone 27, sicque convivia ejus erant & *tempertiva*, quæ de multo die inciperent, & *intempertiva*, quæ in noctem intempestam protraherentur: utraque autem in vicio habita. Nam hora conviviij legitima priscis Romanis, solis occasus; postea hora diei decima, & labente imperio moribusque, nona.

(6) *Cum Lepido.* Qui uxorem duxerat Drusillam, Agrippinæ sororem. Is a Caligula destinatus imperio; at convictus conjurationis ab eodem interfectus est. Suet. in Caligula 24.

(7) *Placuit primo venenum.* Id ter se vera tentatum refert Suet. in Nerone 24.

(8) *Navem posse componi docet.* Dio lib. 61 scelestum hoc inventum non Aniceto tribuit, sed ipsi Neroni, qui quum Romæ vidisset in theatro navem ita sponte dissolvi, & emissis bestiis rursus firmari, similem jusjæ edificari.

(9) *Ortentanda pietatis.* Ita Flor. & veteres ediri omnes, pro quo reponere *pietatis* quid attinuit?

(10) *Quinquatruum.* Quinquatrus, festi dies Minervæ sacri, feriis pueris, vixis etiam ludi & spectacula. Nomen hoc inde natum volunt alii, quod festum illud esset post diem quintum Idus Martii, alii quod per quinque dies ageretur.

(11) *Acciperetque Agrippina.* Nempe rumorem illum, eaque crederet.

(11) *Blandimentum sublevavit metum.* Variant hinc scripti

- codices. Gronovius suspicatur legendum: *ibi blandimur sublevarunt motum comiter excepta, superque ipsum ca-*
cata. Infra pro *explenda simulatione*, mallems *explenda simulationi*, ut supra *occultando facinori, ostentando sati.*
- (13) *Eminentibus lecti parietibus, ac forte validioribus quam ut oneri cederent.* Ita locum hunc intricatissime Ryckius e suo codice, & Ernestus ex prima editione ce-
runt. *Parietes lecti* vocat tigna quatuor erecta, totidem ter se conjuncta pluteis, quibus, utpote validioribus, a-
ruente tecto Agrippina & Acerronia protectæ sunt. In Fla-
scribitur nullo sensu, *eminentibus lecti parietibus, ac forte validioribus, quamvis oneri cederent*, quæ tamen veritæ-
tueri conatur Jacobus Gronovius.
- (14) *Occursu lenuncularum.* Lenunculus piscatoria navis.
- (15) *Solum insidiarum remedium esse.* Addit e suo codice Ryckius *putavit*: quod recte improbat J. Gronovius.
- (16) *Id tantum non per simulationem.* Notat Ernestus abesse non ab editione prima, quod non spernendum.
- (17) *Nisi quid Burrus & Seneca exprimerent.* Ita Ryckius e suo codice. Puteolanus dedit *expurgicerentur* e vestigiis codicis Flor. in quo scribitur *expurgens*: alii legunt *expedirent*. Infra vulgatam lectionem, *ac si scitaretur, merito* improbat Freinshemius, reponitque *ac sciscitari*, quod e codice suo recepit Ryckius. Certe Burrus interrogationem Senecæ, cui respondet, ex obtutu solo intelligere non potuit, quidquid contra dicat J. Gronovius.
- (18) *Poscit summam sceleris.* Sceleris a se excogitati executionem sibi uni deposcit.
- (19) *Molium objectus.* Pro *moles objectas*, de quibus Horatius, *Contracta pisces æquora sentiunt Jactis in altum molibus.*
- (20) *Aliam fore litore faciem nunc, solitudinem &c.* Locus deploratus, nec quidquam in Flor. subsidii, in quo scribitur *aliam fore lateros faciem*. Ernestus conjicit *aliam fores ante faciem: modo solitudinem, nunc repentinus stipitus.*
- (21) *Convulsæ lecto.* In quo cœnans accubabat, non fœnebri.
- (22) *Diversa simulatione.* Hi enim lætitiã, ipse mœsticiã fingebat.
- (23) *Infensa militibus.* Ernestus ex Florentino, & editione prima habet *infensa militi.*

- 1) *Ludis annuis*. Intellige ludos scenicos, vel circenses.
- 5) *Qua adeo sine cura delum eveniebant*. In quibus adeo nihil divini erat. Iridet portenta & eorum vanitatem indicat.
- 6) *Juniam & Calpurniam*. Vide Ann. 12, 8, & 22. De *Valerio & Gabolo* nihil supra, iique seu *prætura*, ut vult *Gruterus*, functi dicantur, seu *præfectura* vel civili vel militari, pariter ignoti sunt. De *Lollia* habes Ann. 12, 22, & de *Junia Silana* Ann. 13, 19, & 22.
- 7) *Spectaculorum gradus*. Spectantium multitudinem in extructis gradibus insistentium.
- 18) *Vetus illi copia erat, curriculo quadrigarum insistere*. More aurigarum circensium, curru quatuor junctis equis, voluptatis causa vectari. *Ernestus* pro *copia* dedit *cura*, veterem lectionem revocando; siquidem hujus vocis *copia* nullus hîc sensus.
- 29) *Ratusque dedecus molliri*. Ita *Flor.* & editio prima, idque probant *Lipsius*, *Freinshemius* & *J. Gronovius*. Vulgo *dedecus amoliri*. Sic Ann. 11, 25 *ignominiam mollirent*.
- (30) *Ludos Juvenalium vocabulo*. Qui privati, & per domum aut hortos celebrati. Vide Ann. 15, 33. Hos *Xiphilinus* putat institutos per causam positæ a *Nerone* primæ barbæ.
- (31) *Dabanturque stipes*. *Nero* certam pecuniæ summam distribuebat inter suos. Sic apud *Suetonium* 98 *Augustus* quadragenos aureos comitibus divisit, jusque jurandum & cautionem exegit a singulis non alio datam summam, quam in emptionem *Alexandrinarum* mercium absumpturos.
- (32) *Scenam incendit*. Ita codices & editi ante *Lipsium*, qui dedit *incendit*. At eadem forma Ann. 1, 61 *intedunt mestos locos*.
- (33) *Facultas. Necdum insignis ætatis nati*. Hæc *Muretus* sic refingit: *facultas, necdum insignis erat. Is considero &c.*
- (34) *Discordia oruerantur*. Eliciebantur discordiæ ipsorum, quippe contraria adseverantium. Infra e codice *Flor.* & prima editione dedimus *ore vultuque*, pro vulgatorum *voco vultuque*.
- (35) *Quom motum senatu retuli*. In libris scilicet, qui periere.
- (36) *Prætoris potestate usum*. Qui cum potestate prætoris missus in provinciam *Cyrenen* fuerat.
- (37) *Regis Apionis*. Lege cum *Lipso regi Apioni*. Is populo Romano *Cyrenarum* regnum testamento legavit *L. Domitio*, *C. Cælio* cons. anno urbis 660.
- (38) *Quam clariorem effecit*. Quam vitæ elegantiam in *Ser-*

- villo clariora effecit Domitius, Servilio quidem par ingeniatum at morum diversus, quippe districtus accusator, & quae factiore properus clarescere. Ann. 4, 52. Videtur tamen excidisse post officis nomen proprium *Afer*.
- (39) *Necessitate certandi*. Alii *spoliandi*: nec Lipsio deceat geminari, *necessitate spoliandi aut certandi*; ad utrumque enim adigebantur. Vide Ann. 16, 5.
- (40) *An iustitiam Augurii & decurias equitum*. Hunc locum Pichena, Gronovio probante, sic emendat. *An iustitiam Augustanos*, de quibus supra 15, & *decurias equitum*, aliquando in decurias iudicum allegendos, paratius & religiosius causas audituros, si molliter & dulce canenti Neroni artificiose plaudere, & docte atque ingeniose acclamaverint didicissent? Id enim est *perite audire*.
- (41) *A Tusci accitis histriones*. Atqui Ann. 4, 14 Lucrum id genus appellatur *Oscum*: sed videlicet artis ludicrae primam originem *Oscis* Romani debuere, *Tusci* progressum.
- (42) *Id genus spectaculi*. Videtur significare ludos *Gracos*: antea enim *Osci* tantum erant & *Latini*. Hos triplices ludos intelligit Suetonius in Julio 39. *Ludos regionalim ubi tota dedit, & quidem per omnium linguarum histriones*. Possis etiam per ludos *Gracos* intelligere *gyrnica* certamina.
- (43) *Certaminibus sacris*. Pollux certamina sacra definit ea, quorum praemium unicum *corona*.
- (44) *Incesserant*. Pro *incessiverant*, scil. conviciis. *Tum exleverant*. In usu promiscuo esse ceperant. Supra pro *ac ne modica*, mallet Gronovius *ac ne immodica*.
- (45) *Rubellius Plautus*. Vide Ann. 13, 19, & infra 57.
- (46) *Cui Sublaqueum nomen est*. Mukum blanditur conjectura Gronovii legendis, *apud Simbrina stagna (loco Sublaqueum nomen est) ibi dapes &c.* Simbrunorum collium meminit Tacitus Ann. 11, 13. Ville *Netoniano Sublaconis* meminit Plinius 3, 12.
- (47) *Polluisse*. Nam fontes & capita aquarum priscis sacra, in iisque natere nefas. Plinius Epist. 8, 8 de Clitumno. *Pons terminus sacri profanique*. In superiori parte navigare tantum, infra etiam natere concessam.
- (48) *Carne pecudum*. Nimirum sola: porro militi Romano & mitioribus populari frumento carere extrema fames est.
- (49) *Non ignobilis barbarus*. Unus Megistanum, de quo Pratinus sic narrat. *Domitius Corbulo, cum Tigranocertam obsideret, in quemdam ex Megistanis-quos ceperat ani-*

incederet, caputque ejus ballista excussum intra munimenta hostium misit. Id forte decidit in medium concilium; quod tum cuncti maxime habebant barbari: ad cæcis conspectum velut ostento consternati, ad destrictum festinauerunt.

o) *Præsidium regium: Castellum, ut Ann. 3, 21. Præsidium cui Thala nomen. Infra pro pulsi intra munimenta aggeris, mallet Ryckius pulsi intra munimenta, aggeribus demum; &c.*

51) *Ad litora maris Rubri.* Lipsius reponit *ad litora maris sui*, i. e. Caspii, cujus ad meridiem incolunt Hyrcani. Sed observat Ryckius non potuisse legatos eo pervenire, aut itinere terrestri, nisi per vastas regiones, quæ Parthis patebant, aut maritimo, cum etiam hodie difficultè id mare navigetur: sed legatos isse per Syriam ad sinum Persicum, seu mare Indicum, quod maris *Rubri* nomine veteres appellanti, atque inde vectos in Persidem, per eam & ultimam Mediæ patriam repetisse.

(52) *Pars Armenia, ut cuique finitima, Pharasmani, Polemonique, Aristobulo atque Antiocho parere jussa fuit.* Sic hunc locum plane corruptum felici conjectura restituit Gronovius. Pharasmanes & Antiochus, Iberiæ alter, alter Comagenæ reges, Corbuloni militavit Ann. 13, 37. Polemo & Aristobulus Josepho memorantur, hic minoris Armeniæ, ille Ciliciæ reges. Supra videtur cum Freinshemio legendum *duaque equitum ala, quo facilius novam regnum tueretur.* *Pars &c.* mutata interpunctione, & deleta conjunctione ante vocem *quo*.

(53) *Ne gravioræ pœna adficeretur.* Pœna damnatis repetundarum fuerat olim exsilium, & æstimatio litium. Remisserat exsilium lex Julia, jusseratque damnatum moveri tantum ordine, & lites æstimari; sed gravius & plerumque extrinsecus ordinem in id crimen animadvertetur, pro delicti modo.

(54) *Domitii perduellibus.* Hostibus, quos antiqui *perduellibiles* appellabant.

(55) *Monam insulam.* Hodie *Anglesey*.

(56) *Sic pedes: equites &c.* Ita Flor. vulgo *sic pedites*. Cap. sequenti ex eodem codice dedimus *perculere milites*, ubi vulgati *militem* præferunt.

(57) *Femine, in modum furiarum, quæ.* Pronomen *quæ* addidit Ernestus ex prima editione.

(58) *Boudicos.* Hoc nomen varie scribitur cum in aliis, tum in ipsius Taciti mss. nam Flor. hinc *Bodicia* scribit, in vi-

- ta Agricola *Voadica*. Videtur ex Dione scribendum *Boudica*.
- (59) *Rebellionem*. Sic Medicus codex, & vocem non semel usurpat Valerius Maximus.
- (60) *Procuratore*. Vide Ann. 12, 60.
- (61) *Sine justis armis*. Non plane armatis. *Justum*, cuius suam quodammodo perfectionem & absolutionem nihil deest.
- (62) *Præsidisque militarium*. Forte *militaribus*, quod malet Pichena. Sic infra 45 *omne iter ... militaribus præsidis septis*.
- (63) *Quod uberrimum spoliandi*. Ita recte correxit Mercerus, & sic habet Flor. Antea *spoliant*. Alacres nimirum ad prædam, segnes ad cetera, castellis ideo, ac præsiidiis militaribus omissis, petebant municipia defensoribus vacua, *spolis uberrima*.
- (64) *Cum vexillariis vicesimanis*. Vide Ann. 1, 38.
- (65) *Ne strepitum quidem & clamorem tot millium*. Fuisse in acie hostili triginta supra ducenta millia hominum scribit Dio; quod omissum, ut pleraque alia in hac narratione, non incuria aut culpa Taciti, sed librariorum exscriptorumve, suspicatur Lipsius.
- (66) *Quod modica manus*. Ita post Ryckium dedit Ernestus e mss. Flor. Oxon. & editione prima, vulgo *modica manu*.
- (67) *Postquam propius suggestus hostis ... tela exhauserat*. Hæc intellige de legione Rom. cui propius suggestus hostis facultatem dederat, ut certo in ipsum jactu tela exhauriret. Sed mallems cum Lipsio *suggestis hostibus*.
- (68) *Nullum prælio finem*. *Prælium*, pro bello, quod non insolens Tacito: mallet tamen Muretus *bello* vel *præliorum*.
- (69) *Quod post paucas naves*. Gronovius legit *postquam paucas naves*. Supra pro *detentus* Faernus reponerat *demotus*.
- (70) *Alterum senatoris, servili alterum audacia*. Ita mss. Flor. & Oxon. & editio prima, idque Taciti manum sapit varietatem captantis. Vulgo *senatoria*. Infra pro *Vincio Rufino*, videtur legendum *Vinicio Rufino*.
- (71) *Antonium Primum*. De quo multa in libris hist. 3, & 4.
- (72) *Lego Cornelia*. De falso, cujus legis pœna deportatio & honorum publicatio. In civibus tamen honestioribus subditio etiam ordinis admissa est. Vide Hist. 2, 86.
- (73) *Ad prætorem*. Eum scilicet cujus fuerat antiquitus jurisdictio *de falso*: quæ cognitio, ut & aliæ, quæ prætorum fuerant, partim ad senatum, partim ad præfectum urbis transierunt.

- (74) *Additur senatusconsulto.* Quo Valerio Italia interdictum fuerat.
- (75) *Cui pretium pepigerat.* Servus ille nimirum cum domino pactus erat in certum pretium, quo exsoluto liber esset. In eam rem servi peculium suum, vel lucrum aliud adventitium impendebant.
- (76) *Quæ ne in metu quidem* (nempe senatusconsulti illius inconcussi) *pericula nostra avertit.* Ita veteres editi omnes. Recentiores *advertit.* Elegans est Gronovii conjectura, *quam ne in metu quidem pericula nostra advertunt*, i. e. ad sese vertunt: quo sensu scriptores optimi vocem *advertere* frequenter usurpant.
- (77) *Quia de paterna pecunia transegerat.* Hæc ironice dicta accipe: neque enim servus habebat aut a patre pecuniam, de qua transigeret, aut ab avo mancipium, quod posset eripi.
- (78) *Excubias.* Servorum, qui ad limen heri excubabant.
- (79) *Præveniunt.* Sese exserunt ante, quam facinus patretur.
- (80) *Accusatum ab eo Statilium Taurum.* Vide Ann. 12, 59.
- (81) *Gymnasium.* In quo ipse & equites ac senatores publice se exercerent. *Græca facilitate*, i. e. ex indulgentia & luxu Græcorum. Nam, ut ait Plinius, 15, 4 *usum olei ad luxuriam vertèrs Græci, vitiorum omnium genitores, in Gymnastiis publicando.*
- (82) *Memoravi.* Ann. 13, 28.
- (83) *Cossutiano Capitone.* De quo Ann. 11, 6, & 13, 33.
- (84) *Tum primum revocata ea lex; credebaturque haud perinde exitium Antistio, quam imperatori gloriam queri, ut condemnatus &c.* Vulgo editur, *tum primum revocata ea lex credebatur, quæ haud perinde exitium Antistio, quam imperatori gloriam quasivit, ut condemnatus &c.* Hæc aperte vitiosa cortexit J. Gronovius, & favet Medicus, in quo particula *ut* ante condemnatus, nulla visitur.
- (85) *Intercessione tribunicia.* Ipsius Neronis: nam imperatores tribuniciam potestatem sibi sumpserant.
- (86) *Eo privatim miseriores, & publica.* Alii legunt *miserior, & publica*; sed nimis obscure.
- (87) *Fabricius Vejo.* De quo vide Juvenalem Satyra 4.
- (88) *Quod in se tumescens paullatim faucibus.* Hæc a Mureto & Ernesto videntur emendari recte, *quod intumescens paullatim faucibus, & impedito meatu spiritali, finierat.* Finire pro mori dixit Ann. 6, 50.

- (89) *Sciscitanti haestenus respondisse*. Neroni quomodo haberet querenti hoc tantum respondisse, *ego me bene habeo*, Flor. post vocem *sciscitanti* conjunctionem *que* ignorat, atque melius abest.
- (90) *Atque illi pro cognitis moribus fuisse*. Hanc Farnesii codicis lectionem Mercerus recte interpretatur: Rufum nepe & Tigellinum, ita apud Neronem valuisse, ut mores atque jusque cogniti ferebant: atque id sequentia desiderant. Alii codices & interpretes in alia omnia abeunt. Infra deditur ex codice Flor. & editione prima, *Et intimis libidinibus*, quod est, ad intimas & secretiores libidines *adversus*. Vulgatorum ex *intimis*, est a Puteolano. Sed id ab hoc loco alienum.
- (91) *Quasi... supergredatur*. Propemodum anteiret. Infra pro *includere* voces legebat Muretus *vocem*, recte.
- (92) *Abavus tuus, Augustus*. Vulgo *avavus*. Correxerit Ryckius, ut sibi constet Tacitus, qui Ann. 13, 14 scribit, *divo Augusto abavo Neronis*. Et vero Agrippina Germanici filia, mater Neronis: Agrippina Agrippæ filia ejusdem avia: *proavia*, Julia Augusti filia: Augustus ergo per maternam originem *abavus* Neronis.
- (93) *Quid aliud magnificentia tua adhibere potui* &c. Qua alia re potui promereri munificentiam tuam? Voculam *meo* cum Ernesto addidimus e codice Ryckii. Infra ubi vulgati, *quibus*, codex Flor. *Et quibus*, ut conjecerat Acidalius.
- (94) *Infra tuam magnitudinem jacent; sed mihi incumbunt*. Vulgo *jacet, incumbit*. Codicis Guelferbytani & veterum editorum lectionem restituit Ernestus, ut illa verba non ad *invidiam*, sed ad *cetera* referantur: idque postulant voces *omnia mortalia*, quæ melius de bonis humanis, quam de vitiiis, velut *invidia*, capiuntur.
- (95) *Admuniculum*. Lipsius intelligit *optiones*: sic enim dicebantur adjutores seu accensi a tribuno dati centurionibus. Gronovius interpretatur *missionem causariam*.
- (96) *Nixum fastigii regimen*. An regimen principatus nixum jam & confirmatum usu tot annorum? Gronovius legebat *nixum fastigio*; ut *fastigium* dictum sit pro imperio, potentia, ut Ann. 15, 1.
- (97) *Quieto respondere*, i. e. satisfacere, ut solebant qui citati ad nomen respondebant, sive in delictu militum, sive in judicio, atque ita satisfaciebant. Gronovius, Dicitur etiam terra votis agriculturalum, *respondere*, seu satisfacere, si aliquando quiescat.

- 8) *In ea ipsa aetate.* Lege cum Lipsio, *in ea ipsa aetate.* Infra pro *quidquid illud*, recte Faernus reponit *quidquid illis*.
- 9) *Nisi forte aut te Vitellio ter consuli, aut me Claudio postponis.* Ita conjecerat Lipsius, & firmat codex Flor. in quo prima syllaba verbi signatur per litteram *p* quæ indicat *post*. Editi dederunt *præponis*, quæ vox sensum omnem pervertit: hæc enim mens Neronis: *nondum omnes fortuna antecellis*: verum id fiet; nisi forte existimas aut te non dignum tantis præmiis, quantis adfectus est a Claudio Vitellius ter consul, aut me Claudio imparem esse in remunerandis amicis. Sequentia videntur levi mutatione cum præcedentibus connectenda: *Et quantum Volusio &c. pro sed quantum &c.*
- (100) *Ornatumque robur.* Postquam robur ætatis meæ præceptis tuis ornasti, nunc tuo subsidio impensius regis. Pichena.
- (101) *Cui caveri utcumque ... præsentia.* Sic legitur in vulgatis. Rickius de suo codice dedit, *cui caveri utcumque ... præsentia cura*: idque conjecerat Freinshemius ex Flor. in quo scribitur *præsentiora*.
- (102) *Claritudine avi Drusi.* Vide supra 22.
- (103) *Simulatorem segnitia.* Vide Ann. 13, 47.
- (104) *Effugeret segnem mortem, otium, suffugium.* Hæc merito suspecta Lipsio. Freinshemius legebat, *otium suffugiis*, i. e. superesse spatium & tempus suffugii, & plerosque homines miseratione magni nominis adfici. At Heinsius emendabat *odii suffugium*, hoc sensu; ne sineret se inultum perire: hæc enim mors segnis: talem enim mortem esse quidem *odii suffugium*, liberare ab odio; sed nihil aliud nisi miserationem habere inanem.
- (105) *Caranum.* De eo nihil liquet. De Musonio vide Hist. 3, 81, & Plinii Epist. 3, 11. In exsilium pellicitur ob claritudinem nominis, Ann. 15, 71.
- (106) *Nomine patris, Et studiis populi gravem.* Invisam Neroni ob patrem Claudium, & studia in eam populi.
- (107) *Gravioribus ... ludibriis, quam malis.* Quæ senatûs adulatio non tam aggravabat mala, cædes nimirum Plauti & Sullæ, quam mimica & ludicra mala veris addebat. Gronov. At recte Freinshemius pro *tamen* reponebat *jam*: hoc sensu, graviora fuisse illa ludibria ipsis malis.
- (108) *His motus Nero, baud quaquam penitentia flagitii.* Alii legunt *his, baud quaquam Nero penitentia*. His sci-

- licet vulgi questibus motus, non pœnitentia flagitii. Rychio placuit lectio codicis Agricolaë, *bis motus Nero, a pœnitentia flagitii*. Sed talis de Nerone dubitatio procul a ingenio Taciti. Oxoniensis codex habet, *bis motus Nero tanquam pœnitentia flagitii*.
- (109) *Expetitur venerantibus*. Ita Rychius e suo codice addit. Flor. & Budensis habent *repetitum venerantium*. Ubi de Grotius conjiciebat, *repetitur veneratio*. Harleus, *repetita veneratione*.
- (110) *Quæstionibus ancillarum elusa erat*. Ita dedit Ernestus ex conjectura Jacobi Lectii, quam probant Lipsius, Faernus, Pichena. Vulgo *eluserat*.
- (111) *Vita exempta*. Ita Flor. omisso præpositione *a* quam addunt vulgati. Heinsius legebat *vita exempta*, ac deinde *mortem acquiescebat*.
- (112) *Comunesque Germanicos*. Nam Drusus Nero Germanicus, qui primus hoc cognomentum sibi & filiis peperit, avus fuit Octaviæ, Neronis proavus.



LIBRUM DECIMUM QUINTUM

ANNALIUM NOTÆ.

- 1) *Dolorem eorum*. Dolorem ex iis rebus Vologesi natum. Vox *eorum* melius abesset.
- 2) *Per silentium, aut modico querendo*. Alii legunt *per silentium baud modice querendo*. Interdum enim & silentium omni voce loquacius est, ut ait Longinus. Sic Ann. 16, 10. Vetus & socrus cum filia invisi erant principi, *tamquam vivendo exprobrarent interfectum esse Rubellium*. Eodem modo Tiridates regno profugus *per silentium baud modice querebatur*, ipsoque conspectu gravis erat fratri. Querele quæ sequuntur, non Tiridatis sunt, sed quas proceres gentis jactant ad conspectum ipsius Tiridatis & Monobazi. Nihil igitur necesse est cum Mureto legere, *per silentium, aut modico querendo*.
- 3) *Quæ neque summis mortalium spernenda est*. Quæ modestia, seu moderatio, qua quis non nisi coactus vim experitur, nec regibus ac principibus spernenda est, & *assimilatur a diis*, qui proinde favent cunctantibus bella suscipere.
- 4) *Quæ regem ex more sectatur*. Ita J. Gron. & Ernestus ex Flor. & editione prima. Vulgo *sectabatur*.
- 5) *Et quia egena aquarum regio est*. Admittenda videtur conjectura Gronovii legentis, & *quo egena aquarum regio esset*.
- 6) *Tigranon offendit*. Occupaverat Tigranocerta. Ita e codice Flor. & editione prima dedere J. Gron. & Ernestus. Vulgo *offendit, qui occupaverat*.
- 7) *socium amicisque regem, cohortes Romanas circumsideri*. Sic videtur legendum cum Ryckio & Ernesto. Vulgo *circumsidere*.
- 8) *Infixum erat vitandi*. Græca locutio: sic infra 21 *maneant provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi*.
- 9) *Funisulanus Vettonianus*. Ita scribitur in Flor. & editione prima, & Funisulanum quemdam appellat Cicero ad Atticum 5, 4, & 10, 15 unde liquet nomen esse Roma-

- num. Vulgo *Famirulanus*. Infra pro *Calvisius*, *Fris-*
mius legit *Calvisius*, & eundem putat, cujus mentio *Ec-*
 1, 48 filium Calvisii Sabini, de quo Ann. 4, 9.
- (10) *Unde famam ... speraverat*. In Floe. scribitur *fama...*
speraverat: quam ultimam vocem J. Gronovius mutat
sperata erat.
- (11) *Quo transitum regis arcerent*. Lege cum Gronovio qd
- (12) *Armosata*. Quæ & *Armosata*.
- (13) *Instantem Corbuloni fateretur*. Scil. hostem, quem
pra vagum appellavit. Id merito durum videtur Ernesto
 & *instantem* mutat in *necessitatem*.
- (14) *Onusta frumenti*. Sic scripti codices, & veteres eor
 magno consensu; quod in sexta demum editione Lipsii
 tatum est in *frumento*. Etiam Plautus Aul. 4, 2 dixit
aulam onustam auri.
- (15) *Si singulis manipularibus*. Si civis unius servati cor
 na, tamquam honoratior ac præcipua, non ab alio quæ
 ab ipso imperatore singulis militibus tribueretur; quod illud
 & quantum decus fore, quod servatores & servati, pari
 utrimque numero, apiscerentur? Nimirum libera repub. ci
 vis servatus servatori coronam dabat e fronde querna vel
 ilignea. Vide Gellium 5, 6, & Ciceronem pro Plancio 7.
 At postea imperatores videntur coronæ illius tribuendæ jus
 sibi reservasse. Vide Ann. 3, 21, ubi Tiberius donis militari
 bus, quæ gregarius miles ab duce acceperat, coronam addidit
 civicam, questus magis quam offensus, quod non eam quo
 que dux tribuisset. Has autem coronas servari accipiebant,
 non ut servarent sibi, sed ut servatoribus imponerent.
- (16) *Provisis exemplis*. Nimirum percussis Pæti militibus
 abunde magnum erat munimenta defendere, neque vallum
 egrediebantur, partim quia dux vetuerat, partim quia cohi
 bebatur metus & propria ignavia, tamquam opperientes Co
 bulonem. Quin, si vis ingrueret, jam provisa illis erant
 Caudinæ & Numantinæ cladis exempla, quæ ipsi sponte
 paterentur, subeundo jugum Parthorum. In sequentibus duos
 excidisse voces, tertiam vero corruptam recte censet Grono
 vius, legitque: *neque eandem vim Sarmisibus, Italico*
populo, aut Hispanis, quam Parthis Romani imperii ama
lis. Vulgata stare nequeunt.
- (17) *Illum locum*. Hæc emphatice dicta intellige: *illum lo*
cum, in quo scil. Romanæ legiones obsessæ teneantur,
tempusque, quo ad extremam necessitatem legiones illæ ve
 nerint, *consilio destinatum, quo de Armenia tres simul*

fratres cernerent: *adjecisse deos dignum*, seu rem ex dignitate & majestate *Arsacidarum*, scilicet quo *simul & le legionibus Romanis* iidem fratres *statuerent*. Ita Gronovius interpretatur hunc locum, quem mire interpolatum Ryckius e suo codice dedit: *locum illis tempusque consilio testinatum, quo de Armenia cernerent, quod se fastigioque dignum Arsacidarum.*

3) *Sub jugum missas*. Jugum e duabus hastis in terram fixis, & tertia transverse superposita fiebat, sub quod devictæ copię abibant. Huic rumori fidem habet Suetonius in Nerone 39.

9) *Proximus quisque regem*. Voci *proximus* jungitur de more accusandi casus.

10) *Speciem insignium & armorum*. Vide ad Ann. 1, 24. Ceterum codex ms. teste Rhenano habet *insignium armorum* sine divisione. Infra cum J. Gronovio & Ernesto dedimus e codice Flor. & editis omnibus ante Rhenanum *temperare, pro temperatere*.

(21) *Hoc conquerente*. Id e conjectura Fichenæ. Flor. scribit, *hoc conquerentium*: unde Ernestus mallet *huic conquerenti*.

(22) *Armenii sine arbitro relicti*. Ita ut neque Romanus neque Parthus arbitrum se fertet, & moderatorem rerum Armeniæ. Sic e Flor. & editis veteribus dedere Jac. Gron. & Ernestus pro recentiorum *suo arbitrio*.

(23) *Fruventum plebis*. Quod in frumentatione menstrua plebi dividi solebat.

(24) *Sexcenties sestertium*. Lib. Tur. 7500000.

(25) *Pravissimus mos*. Etsi ejusmodi superlativa passim occurrant, videtur tamen legendum *pravis mos*, ex codice Flor. in quo scribitur *pravissimos*.

(26) *Orbi.... adsciscerent filios*. Quia lex Papis, sub Augusti tempus extremum lata, jubebat in provinciis aut magistratibus mandandis eos præferri, quibus liberi plures essent.

(27) *Magna cum invidia senatum adeunt*. Ii scil. qui vere patres erant. Voculam *qui*, quam ignorat Medicus, cum J. Gronovio & Ernesto delevimus.

(28) *Ne usurpandis.... hereditatibus prodesset*. Nam cælibes ex testamento nihil capere poterant, nisi e proxime junctorum: orbi vero non nisi dimidium. Vide Plin. Epist. 10, 95.

(29) *Grates agerentur*. Quæ grates proderant ad sequentes honores. Vide Plin. Paneg. 71.

- (30) *Maneat ... ostentandi*. Similis loquendi forma supra.
- (31) *Ambitio*. Pravum in demerendo provincialium favorum dium. Lipsio placeret *cobibebitur*.
- (32) *Abnuentibus ... relatum*. Substantive pro *relatum*. Abnuentibus ea de re referre ad senatum. Infra pro *terra ... oppidum ... proruit*, videtur legendum cum *novio*, & *motus terra ... oppidum ... proruit*.
- (33) *Ad exemplar Aethiaca religionis*. Sic emendat Lipsius sed post vocem *Religionis* habet, seu *regionis*: ut intelligantur ludi quinquennales ab Augusto in urbe Nicopoli Aethiaca instituti: idque verum videtur. Alii legunt *ad exemplar Attica religionis*.
- (34) *Apud Bovillas*. Ubi sacrarium Juliae genti, effigies divo Augusto dicantur Ann. 2, 41.
- (35) *Quamvis*. Pro *quantumvis*.
- (36) *Effigies Principis*. Quae inter signa militaria praeferebatur.
- (37) *Syriaeque executio*. Executionem usurpat pro administratione, ut alibi, *negotii ejus executionem libens suscipit*. At quum ex Hist. 5, 10 constet Cestium Gallum Syriae praefuisse, quando bellum Judaicum culpa Gessii Flori confiatum est, hoc est, anno sequenti, Pighius pro *Cincio*, legit *Cestio*, quod verum videtur.
- (38) *Simul consilio terrorem adjicere; & Megistanas*. Multum blanditur conjectura Freinshemii legentis, *simul, ac consilio terrorem adjiceret, Megistanas &c.*
- (39) *Neque atrox in summam*. Non acerbe respuit mandata Corbulonis de pace componenda.
- (40) *Operire reliquias*. Insepulta militum Pæti corpora.
- (41) *Tiberius Alexander*. Aegypto mox praefectus, Hist. 4, 11. Judaeus genere, sed religionis desertor, teste Josepho Antiq. 20, 3. *Minister bello datus*, i. e. adjutor & socius actorum consiliorumque.
- (42) *Vivianus Annii*. Flor. scribit *Vinianus*: forte legendum *Vinicianus*: ut filius sit Annii Viniciani, de quo Ann. 6, 9. Infra pro *honore ejus, ac ne metueret*, scribitur in regio codice, *an ne metueret*: quae lectio satis ex ingenio Taciti.
- (43) *Nondum senatoria aetate*: quae tunc temporis erat annus vigesimus quintus, post stipendia decem.
- (44) *Initia vigiliarum*. Obibant vigiliis centuriones, & duci renunciabant quo res loco reperissent. *Convivium buccina dimitti*. Polybius notat Romanis consuetudinem fuisse, ut

tempore convivandi cuncti tibicines ac buccinatores ad tenarium ducis personarent: classicum illud omnium signorum nebat ante cœnam, buccina vero post cœnam: donec, quit Athenæus, *buccina solitum desinentis convivii solum dedit.*

) *Augurale.* Vide ad Ann. 2, 13.

) *Cuncta in majus attollens.* Ita Flor. & regius, & edimones ante Lipsium, qui dedit *extollens.*

) *De quatuordecim ordinibus.* Qui ordines seu gradus quatuordecim proximi assignabantur equitibus Romanis in scaena seu theatro, ex lege Roscia: sed illa nihil de circensibus ludis caverat.

) *Per arenam.* Gladiatoriam. Vide Ann. 14, 14.

) *Sacras, coronas.* Quæ sacrorum certaminum præmia erant: illa autem numero quatuor, Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea.

o) *Divum Augustum abavum.* Sic dedit Ryckius ex admonitione Ruperti; quod scilicet putat hunc Torquatum patrem fuisse M. & L. Silanorum abnepotem Augusti, de quibus Ann. 13, 1, sed ea de re etiam Reinesius dubitabat, Alii legunt *D. Augustum Atavum.*

1) *Quin nec ignobiles habere.* Alii legunt *quin eum nobiles habere.* Vox *nobiles* hîc stare nequit: neque enim principes, multo minus privati, nobilibus, sed ne civibus quidem infimi ordinis abutebantur ad ejusmodi officia, quæ servis ac libertis mandabantur. Hadrianus, notante Spartiano, ab epistolis & a libellis primus habuit equites Romanos. Ryckius reponit, *quin eum homines habere.*

52) *Nomina summæ curæ.* Ea esse nomina ministeriorum principis, & quamdam principatus meditationem. Vide Ann. 16, 8.

53) *Plebi volentia, i. e. accepta, grata.* Sic Hist. 3, 52. *Muciano volentia rescripsere.*

54) *Nihil usquam perinde latum sibi.* Scil. pro Roma esse.

55) *Publicis locis.* *Naumachia præclusa, vel Martio campo, vel Circo maximo,* ut habet Suetonius.

56) *Et animalia maris Oceano abusque.* Heinsius legebat *mari Oceano abusque:* quod verum videtur: intelliguntur enim animalia terrestria, non marina, quæ non *maris Oceano abusque,* sed *maris Oceani* dicerentur.

57) *Enormibus vicis.* Non certa lege atque norma divisis ac directis.

58) *Fessa senum aut rudis pueritia ætas.* Hæc manifeste

- corrupta Salinerius mutabat in *fessa annis ac rudis* *Es. B.*
 Agricolaë codice Ryckius dedit *fessa senum ac rudis par-*
atas. Infra pro *pars morans* Flor. & regius scribitur *pa-*
mora, idque videtur esse omnino ex ingenio Taciti.
- (59) *Macenatis hortos*. Qui fuere in Esquilis.
- (60) *Usque ad ternos nummos*. Nostræ pecuniæ septenos
 ses cum semisse.
- (61) *Prorupis edificis*. Ita cum Gronovio. Alii legunt
prorupis edificis. Incendium prorumpit, *ædificia*
proruuntur. Infra *campum* intellige planitiem, ut *campus*
aquarum.
- (62) *Nec dum posito metu, redibat baud levis, & rursus*
grassatus ignis. E mss: qui hinc corruptissimi, dedit Rhe-
 nanus, *necdum posito metu, redibat levis grassatus ignis*.
 Ryckius e suo codice maluit, *necdum posito; metus redi-*
bat non levis, & rursus grassatus ignis.
- (63) *Prædis Tigellini Æmilianis*. Lipsius emendat in *Æmi-*
lianis. *Æmiliana* enim locus extra urbem ad campum
 Martium, conjunctus tamen continensque urbi.
- (64) *Cum penatibus populi Romani*. Id intellige vel de *di-*
patriis, quorum simulacra Troja ab Ænea in Italiam ala-
 ta, in æde Vestæ servabantur, vel de ipsa æde deorum
 Penatium, quæ cum regia, Numæ & templo Vestæ conjun-
 cta fuit.
- (65) *Jam opes tot victoriis quasita*. Immo *quæsitæ*: sequi-
 tur enim *meminerant*. *Græcarum artificum decora*. Statuas
 & tabulas magnorum artificum. *Monimenta ingeniorum*,
 sunt libri veterum scripti auctorum plerique ipsorum manu.
- (66) *Totidem annos mensesque & dies*. Númerum annorum,
 mensium, & dierum patèri computando repererint.
- (67) *Usus est patria ruinis*. Ruinam patriæ in suam rem
 vestit; solumque spatiosius extruendis sibi ædibus amplis
 complexus est.
- (68) *Squalenti*, i. e. inculto, sine arboribus, sine herbis,
 utpote arido, & omni humiditate carenti.
- (69) *Urbis qua domui supererant, non... passim erecta*. Ita
 hunc locum dedimus e regio codice, & sic Ernestus reperit
 in Guelferb. & editione prima. Sensus est, loca, spatia ur-
 bis, quæ tam laxa Neronianæ domus ædificatio ambitu
 suo non comprehenderat. Antea legebatur, *urbis qua do-*
mus supererant, non... passim erecta. J. Gron. & Ryckius
 e codice Flor. dederunt, *urbis (partes) qua domui super-*
erant: sed ellipsis vocis hujus *partes* videtur esse durior.

Jam aqua ... custodes. Supple *haberet* ex membro sequenti. *Subsidia* sunt quælibet instrumenta arcendis ignibus commoda. Illa jubentur esse *in propatulo*, sive in ædium estibus, ad usum scilicet promiscuum.

) *Petita diis piacula.* Vulgo *a diis*. Sed teste Gronovius elicit præpositionem: vult enim conquisita esse piacula, sive sacrificia piacularia, & sacra, quæ diis fierent.

) *Sellisternia.* Vulgo *lectisternia*. Correxerit Ryckius ex Flor. & Budensi. Hoc enim epulum Junonis dearumque fuit, quæ non accubantes, sed sedentes ad epulas invitabantur, ut observat Valerius Maximus 2, 1. In hoc autem extraordinario supplicandi diis ritu, lecti diis sternebantur, deabus sellæ, in quibus eorum reponebantur simulacra.

3) *Per flagitia invisos.* Adversus hæc Taciti maledicta in Christianos, vide Plinium ipsius æqualem & amicam Epist. 10, 97.

4) *Haud perinde ... convicti sunt.* Non tam patuit ipsos auctores esse incendii, cujus arguebantur, quam odiisse genus humanum. Ita enim Ethnici de Christianis opinabantur, quod hominum consortia, theatraque & circos fugerent.

75) *Flammandi.* Ad hoc sævitia genus videtur spectasse Jüvenalis satyræ 1. *Pene Tigellinum, tædæ lucibus in illa, Quæ stantes ardent, qui fixo gutture fumant.*

(76) *Prospero, aut in metu.* Mallet Acidalius *prospera res*, quod probatur Ernesto.

(77) *Sanguine inlustræ semper Neroni expiatum.* Quia semel tantum cometes apparuerat sub Neronis imperio, Ann. 14, 23 Grocius debebat vocem *semper*. Ernestus mallet abesse vocem *Neroni*, aut pro ea *tyrannis* legere.

(78) *Vanus ad simulatione.* Similem in pangendis carminibus facultatem sibi affectans, nec assecutus. Lipsius legebat *vana emulatione*.

(79) *Ardente domo.* Lucenæ, luminum faciumque plena, ut volum Acidalius & Pichena: sed videtur admittenda conjectura vel Mureti *auræ a domo*, vel Gronovii *madens vino*, vel Heinsii *marcente domo*, i. e. familia nocturnis comensationibus marcida.

(80) *Proletantibus spem ac metum.* Acidalius conjiciebat *spem inter ac metum*. Vulgatum interpretatur Ernestus conatum cum spe ac metu conjunctum.

(81) *Neque senatus quid manere.* Restare, potestatis scilicet dignitatis.

- (82) *L. Silanus*. Augusti atnepos, filius M. Junii Silani, de quo Ann. 13, 1. Vide Ann. 16, 8.
- (83) *Plerique tradidere, de consequentibus*. De scriptoribus qui consecuti sunt.
- (84) *Epaphroditum*. Qui Neroni a libellis fuit, de quo Suetonius in Nerone 49 & in Domitiano 14. Is nobilem servum habuit Epictetum.
- (85) *Crimen, cujus se pariter indicem & testem faceret*. Sic legit Acidalius e vestigiis Flor. codicis: idque probat Gronovius. Non enim hoc crimen fomenta parasse, sed conjurasse. Alii legunt, *ut sese pariter indicem &c.*
- (86) *Arguendi peritior*. An qui peritiam haberet arguendi eos quos nominasset? qui sensus huic loco parum aptus videtur. Faernas legebat, *arguenti*, urgenti Neroni *paratior*: quid si, *apertior*?
- (87) *Latatum erga conjuratos*. Arrisisse aliquando cuiquam e conjuratis.
- (88) *Cruciatu*. Codex regius & editio prima *cruciatui*.
- (89) *Miles potius deesset*. Hæc postrema dicuntur per concessionem, quam notat vox *potius*. Vulgati, *dum miles potius deesset*; sed voculam *dum*, quæ sensum turbat, volente Flor. hinc erasimus.
- (90) *Illud breve mortis arbitrium*. Nero jussis parere mortem liberam horæ tantum unius spatium dabat.
- (91) *Tribunus prætoria cohortis*. Ita cod. Fl. & regius: editi fere omittunt vocem *prætoria*. Iidem codices infra scribunt & *villam globis militam sepsit*, ut vox *sepsit* referatur ad tribunum, quod rectum videtur. Vulgati minus recte *globus*.
- (92) *Adversus præsentem formidinem mollitus*. Alii legunt *adversus præsentem formidine mollitus*. Regius & Ryckianus scribunt *formidinem*. Emendavit Gronovius Observ. 2, 20, & sic interpretatur. Animus ille durus obfirmatusque contra omnes fortunæ incursus, ipso conspectu uxoris, quæ præsens aderat, quam complectebatur, tantisper ad formidinem inflexus est & mollitus. Ernestus e mas. Guelferbytano, & editione prima maluit *adversus præsentem formidinem molitus*.
- (93) *Temperaret dolorem, ne aeternum susciperet*. Alii, *temperaret dolorem aeternum suscipere*. Ita Gronovius legit Observ. 2, 20 proxime ad codicem Florentinum, in quo dumtaxat scribitur *susciperet*, pro *suscipere*. Vulgo editur *temperaret dolori, ne aeternum susciperet*, & sic legitur in codice Ryckii.

- 14) *Inhiberi mortem imperat.* Ità Beroaldus & veteres editi: sed vocem *imperat* nullus codex agnoscit: unde Rhenanus legebat *inhibere mortem*.
- 95) *Frigidus jam artus & claro corpore.* Ita còdices Flor. Budensis, regius & editio prima, & sic edidere J. Gronov. & Ernestus.
- 96) *Non referre dedecori.* Dedecorum esse pariter, par esse dedecus. Supra *insonti claritudine virtutum* Pichena legendum conjicit, cum tamen Flor. & editio prima habeant *insonibus*. Alii legunt claritudinem virtutum *insonem*, intellige innoxiam, inculpata.
- (97) *Statiliam Messalinam.* Quæ postea Neróni uxor, & quam matrimonio destinaverat Otho.
- (98) *Nec, nisi provec̃ta nocte, omitti sunt.* Vulgò *emissi*. Sed Flor. & veterum editorum lectionem restituit Ernestus.
- (99) *Græco ejus rei vocabulo.* Vocari nempe voluit *Milichus soter*.
- (100) *Vanitate exitus.* Faernus legebat *velocitate*. Vulgata lectionem Ryckius interpretatur, eo sensu, ut Proximus abolitionem sibi a principe indultam, irritam reddidisse dicatur alio mox crimine, quod capite luerit.
- (101) *Sed tamen existimarentur.* Ita scripti & editi ante Pichenam, qui de sola conjectura dedit *extimerentur*.
- (102) *Bina nummorum millia.* Militi cuique libellas Tur. 250.
- (103) *Tanquam viros insones.* Flor. Guelf. Regius & editi veteres magno consensu, *viros & insones*: unde Faernus addita voce legebat *viros claros & insones*: idque probatur Ernesto.
- (104) *Tum decreta.* Alii legunt, *tum decreta . . . decernuntur*. Alterutra vox redundat: priorem delet Lipsius, & eam a margine in textum transisse verisimile est.
- (105) *Venerationem deum.* Alii legunt, *enerationem hominum*. In Flor. scribitur *enerationis item hominum*, in regio autem *enerationis ad deum item hominum*: unde locus datur conjecturæ J. Gronovii legentis, *enerationem calitum*.
- (106) *Quod ad omina solum sui exitus verteretur.* Alii legunt, *quod ad omina olim sui exitus verteretur*. Locus corruptus. E scriptura Florentina, *quorumdam ad omnia dolum sui exitus verteretur*, suspicabatur Gronovius: *factunt tamen quos id omen propinqui exitus adverteret*.

IN LIBRUM DECIMUM SEXTUM
ANNALIUM NOTÆ.

- (1) *Per vanitatem ipsius, & promissa.* Flor. & Regius clare, ex *promisso*. Nempe scripserat & *promisso* Tacitus, casuum varietatis captator. Sic in ipso Ann. exordio, cum *ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent*, & ad passim.
- (2) *Qui velut partam prædam eveberent.* Sic habent scripti & editi. Ernestus ex conjectura certissima dedit, *qui velut paratam prædam eveberent*.
- (3) *Delectum navigium.* Ingeniose & vere Boxornius *remigium*, quod idem est ac *remiges*, qui *delecti juvanda festinationi*.
- (4) *Prudentes diversa fama, tulere.* Emendatio præculdubio vera Gronovii. Flor. & regius vulgari mendo scribunt *prudentis diversa fama tulere*. Infra pro editorum *terras* dedimus ex Flor. regio, & prima editione *terram*; novo genere fœtus terram esse fecundam & fertilem.
- (5) *Lustrali certamine.* Quinquennali, quod singulo quaque lustro celebrandum. Vide Ann. 14, 20.
- (6) *Per injuriam publici flagitii.* Sic vulgo. Acidalius & Boxornius correxere, per *incuriam publici flagitii*, & ita edidit Ernestus. Latabantur, ut quibus curæ non esset publicum dedecus.
- (7) *Severamque adhuc, & antiqui moris retinentes Italiam.* Sic legitur nullo sensu. Aliam lectionem, *severaquo adhuc, & antiqui moris retinentes Italia*, sub Agricolaë nomine laudatam reperit in suo codice Ryckius. Mox cum Ernesto e cod. Flor. dedimus *per longas provincias*, vulgo *per longinquas*.
- (8) *Multis palam, & pluribus occultis.* Supple *in id intentis*.
- (9) *Et quod divina infantis parens.* Vide Ann. 15, 23.
- (10) *Ita recordantibus latam.* Ingeniose Muretus *recondentibus*, ut voci *palam* opponatur.
- (11) *C. Cassium.* De quo vide Ann. 12, 11, & 12. Meminit quoque Plinius Epist. 7, 24. De Silano vide Ann. 15,

32. Huc, ut suspicatur Lipsius, statuam in foro posuit Tiberius Capito. Plin. Epist. 1, 17.
- (12) *C. Cassii*. Qui una cum Bruto victus ab Augusto & Antonio apud Philippos.
- (13) *Ac ne memoria tantum*. Codices Flor. regius & Ryckii carent particula *ne*, quam supplevit Lipsius: vulgo *ut memoria*.
- (14) *Animo præruptum*. Vox a montibus & rupibus præruptis translata, quam Tacito restituit Lipsius ex Flor. & Vetic. Vulgo *animo promptum*.
- (15) *Quibus patrum ejus*. Vide Ann. 15, 37.
- (16) *Silani amitam*. Ergo duas filias C. Appio Silano peperit Emilia Paulla, Juniam Calvinam, de qua Ann. 12, 4, & 8, & hanc Juniam Lepidam. Ryckius.
- (17) *Calpurnius Fabatus*. Plinii junioris præsocer: Novocomensis fuit, ut ex Plinio patet Epist. 5, 12, & 7, 32.
- (18) *Et senectus ejus expectabatur*. Mendose Flor. & Regius habent, & *senatus ejus expectabatur*. Idque Franciscus Medices emendavit felici conjectura, quam cum Ernesto secuti sumus: & *senectus ejus expectabatur*. Tunc enim Cassius senex erat, cæcus, & morti proximus. Eodem sensu Ann. 13, 33. *Celerem... quia absolvere nequibat Casar, traxit senecta, donec mortem obiret*.
- (19) *Et Pollitia filia*. Ann. 14, 22 dicitur *Antistia*, quod verum nomen a parte *Antistio Vetere*: & hoc loco sic forte rescribendum, nisi si duobus nominibus fuit. De Rubellio Plauto vide Ann. 14, 22 & 57.
- (20) *Ad accusandum transgrediens*. Ita Flor. regius, & veteres editi: recentiores vulgo *ad accusationem*.
- (21) *Nec ullis alimentis*: Ablativi absolute capiendi: quæ varietate sæpe Tacitus utitur. Male Ryckius e suo codice addidit vocem *usa*.
- (22) *Tum cui prima ætas*. Acidalius reponit *tum cui proxima ætas*, quod Ernesto rectum videtur, quia præcessit *prius*.
- (23) *Ut more majorum punirentur*. Neroni, cum de ipso senatus id decreisset, quale id genus esset pœnæ interroganti responsum est, *nudi hominis cervicem inseri furcæ; corpus virgîs ad necem cadi*. Suetonius in Nerone 49.
- (24) *Mortem sine arbitrio permittens*. Mortem indulgens liberam, cujus arbiter aut judex adesset nullus. At Gronov. Observ. 4, 2 contendit legendum, *mortem sine arbitrio remittens*, hoc est, remittens decreto senatus definitam mortem, cujus ipsi non haberent arbitrium.

- (25) *Junium mensium transmissum*. Omissum, e numero mensium deletum. Sic Ann. 15, 32 *inania transmissum* est.
- (26) *Cladem Lugdunensem*. Incendium, quo Lugdunensis colonia deflagavit; quod deplorat Seneca Epist. 92. Tra id solacium adhiberum a Nerone, septimo post incendium anno, ut observat Ernestus.
- (27) *Quadrages restertio*. Libellis Tur. 500000.
- (28) *C. Suetonio, C. Talerino consulibus*. Ryckins ex lapidibus probat legendum *Cajis Suetonio, Lucio Talerino* Consulibus.
- (29) *Auctor existisset. Monitus prius Antejus*. In E. scribitur, *monitus prius Antejo*, unde firmatur Accii conjectura, hæc verba sic connectentis, *auctor existisset, monito prius Antejo*. Hoc enim ipso signandi tabulas auctor erat, quod monendo Antejum, ne eas moraretur, ipsa tabularum conficiendarum potestatem permittere videbatur.
- (30) *Civicam coronam... moribus*. Rem tangit Ann. 12, 31.
- (31) *Quam, ne oderim*. Non aliter me defendam apud eos qui hæc legent, quam ut rogem concedant mihi non occisus, i. e. præterire silentio viros fortes tam segniter percuties. Gron. Reddit scilicet causam quæ non omiserit eorum mentionem. Nihil igitur opus est mutatione Rhenani legentis, *quam ne oderint*.
- (32) *Captivitate urbium*. Sic Hist. 3, 70. *Dum inter Vesiparianum ac Vitellium præliis legionum, captivitatibus urbium..... judicatur*.
- (33) *Dignitate senatoria*. Qui opibus ac splendore cujusvis senatorum pares essent: alio vocabulo dicebantur *illustres*, de quibus vide An. 2, 59.
- (34) *Per procuraciones*. Ad quas soli equites aut liberti admissi. De his vide Ann. 12, 60.
- (35) *Additur*. Jussu nempe Neronis, & aliena manu. Quidam legunt *addit*, ut ipse Nero intelligatur.
- (36) *De C. Petronio*. Quidam Petronium Arbitrum volunt esse hunc C. Petronium, ejusque codicillos, quos Neroni misit obsignatos, ipsissimam esse satyram, cujus fragmenta exstant. At quis credat tabulas codicillares eam amplexas materiæ amplitudinem, quæ ad quindecim & sexdecim libras excresceret.
- (37) *Proconsul tamen Bithynia*. Bithynia fuit provincia consularis, ejusque proinde rector dicebatur proconsul, etsi non gessisset consulatum, quem mox inter suffectos gessit Petronius.

) *Fregitque annulum*. Cujus imago tabellis impressa auctoritatem iis afferebat. Meminerat scilicet assimilatas Lucani interfecti litteras ut Mellæ patri exitium pararetur.

) *Pertuleratque, proprio odio*. Freinshemii correctio hujus loci admittenda, *pertuleratque. Propria odio hanc: Numismum Thersuum &c.* Intra pro *neco immerita lueros lege* : cum Acidalio, *neco immerita, luere*.

) *Ludis Casticis*. A castu, hoc enim armati manus pugiles pugnabant. In his ludis Thræsea *cecinerat* : duplex enim, gymnicum & musicum potuit esse spectaculum, & a castu, tamquam a certamine vel solo antiquitus, vel præcipuo, nomen retinuisse.

1) *Misiora censuit*. Vide Ann. 14, 48.

2) *Solemne jurjuvandum*. Calendis Januariis senatus jurabat in acta principum, i. e. se rata habiturum acta non solum ejus qui rerum potiretur, sed etiam superiorum principum, nisi quis sceleribus & flagitiis aliter meruisset: sic Tiberii & Caligulæ nomina non erant in catalogo principum, quorum mentio fiebat in juramentis votisque: nam post diem tertium, hoc est, tertio Nonas, pontifices ceterique sacerdotes ac magistratus vota pro incolumitate imperii & principis suscepta solvebant, novaque nuncupabant, in tabulis describi solita & signari. Jurabant pariter apud exercitus, & in provinciis, duces ac proconsules, vota que itidem solvebant suscipiebantque. Vide Ann. 4, 17, & 13, 11. Vide etiam Plinium Epist. 10, 44, 60, & 101.

(43) *Incolumitas tua sine arte, sine honore*. Locus mendosus. Flor. scribit *artes*: unde Lipsius putat excidisse vocem, legendumque, *incolumitas tua sine cura, artes* (scilicet Scenicæ) *sine honore*. Gronovius emendat, *incolumitas tua, tue artes sine honore*: uterque apte ad mentem dicentis. Objecit enim Thræseæ, quod & nuncupationes vocerum omitteret, & nunquam immolaret pro cælesti voce.

(44) *Diurna populi Romani*. Julius Cæsar *primus omnium instituit, ut tam senatus quam populi diurna acta conficerentur & publicarentur*. Suetonius in Cæsare 20.

(45) *Ista secta*. Stoicorum, qui *virtutis vera custodes, rigidique satellites*, ut ait Horatius.

(46) *Ut ad externa rumoribus*. Supple *versis*.

(47) *Audiret senatus voces . . . supra humanas*. Flor. codex habet *supra humanos*, i. e. *supra homines*: idque Ryckio & J. Gronovio blanditur. Sic Cicero ad Atticum 13, 42. *Possum falli, ut humanus*.

- (48) *Ab ignavia ... pereunsiuum*. Notantur ii, qui, omnes defensione, venas sibi intra domesticos parietes absceiebant.
- (49) *Superesse, qui forsitan manus idibusque per immunitatem Augusti*. Sanando huic loco nihil felicius occurrit conjectura Grotii, pro *Augusti*, reponentis *audent*. Nam vox *Augusti* quin mendosa sit dubitari non potest: neque enim solitum Tacito Neronem designare *Augusti* vocabatur.
- (50) *Quem perornavisset*. Cul ad finem usque ornatus fuisset: hanc enim vim habet in compositione particula *per*. Sic Ann. 4, 34. *Uterque opibus atque bonoribus perornatus*.
- (51) *Haud venire*. Conjectura Lipsii, quam firmat Flor. in quo scribitur *adveneri*. Plures e numero senatorum e his quinque provinciis oriundi, in patriam, accepto communi, proficiscebantur, ut res suas invisarent. Vide Ann. 11, 13 & 12, 23.
- (52) *Summam reisp. agi*. Vulgo *summam reisp.* correxit e codice Flor. Ryckius.
- (53) *Helvidium Priscum*. Hunc postea Vespasianus occidit, patrem illius Helvidii, a Domitiano interfecti, quem scriptis ultus est Plinius Epist. 9, 13. De Paconii patre majestatis reo sub Tiberio, vide Suetonium in Tiberio 61. De Camillo Montano mentio Hist. 4, 40.
- (54) *Requirere se in senatu &c.* Nam supra 22 Thræsea dictus est *vitare solemne iurjurandum, nuncupationibus reorum non adesse, triennio non introisse curiam*. Hæc se dicit accusator objicere Thræseæ, si ille neget se proditorem esse palam & hostem.
- (55) *Denique agere senatorem, & ... protegere*. Videtur admittenda Gronovii conjectura, legentis, *denique agere senatorem, ut principis obtredatares protegeret, solitus*.
- (56) *Celebritate periculorum*, i. e. frequentia, multitudine. Ita scripti & editi veteres. Rhenanus dederat *crebritate*.
- (57) *Sed recens, discrimini*. Flot. *sed recens, & quot discrimini*. Voculam *quot* eradit Gronovius legitque, *sed recens, & discrimini*: ita ut in duobus prioribus membris orationis intelligatur verbum substantivum. Propius ad codicem Jac. Gron. *sed recens, & quo discrimini*.
- (58) *Altaria & aram*. Veneris genitricis, cujus in templo senatus habebatur. *Altaria* sunt, in quibus ignis adoleat, ab altitudine dicta: *aras* Varro dicit *aras* primum dictas, quod esset necessarium a sacrificantibus eas teneri. *Asis* autem sive *ansis* teneri solere vasa quis nescit?

- (59) *Nimia tantum pietatis rem separarent.* Hoc est, parerentur dividere defensionem; atque ipse &c. Ita locum hunc restituerunt ex Flor. Ryckius & Jac. Gronovius, idque servat etiam regius & editio prima. Vulgati, *separarent a se, quamcumque sortem subiret.*
- (60) *Habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, i. e. exercitatus.* Sic Ann. 15, 45. *Græca doctrina ore tenus exercitus, animum bonis artibus non indueras.* Ita locum ex Faerni conjectura Pichena edidit, & consentit Ryckii codex: nam Flor. regius & veteres editi habent *honesti & exerciti*: quam lectionem defendit Gronovius Observ. 4, 2, & explicat, cujus is habitus, ea frons, quæ præferat imaginem hominis honesti, & firmi atque exerciti philosophi.
- (61) *Labantem non deseruit.* Sic dedit Ryckius e suo codice, cui accedit Reglus. Vulgati *labentem.*
- (62) *Æquitate deum erga bona malaque documenta, i. e. diis bonum malumque facinus pari incuria transmittentibus.* Hic Tactus videtur Epicurum sequi, aut saltem patitur sensus, qui pios etiam & divinæ providentiæ adsectores sæpe turbant, cum viderent scelus præmia, virtutem supplicia sequi. Vide Ann. 14, 12, & Hist. 1, 3. Gronovius.
- (63) *Ne in republica habereetur.* Ut ab omni honore & munere publico removeretur.
- (64) *Quinquagies sestertium.* Libel. Tur. 625000. *Duodecies.* Libellæ 150000.
- (65) *Demetrio.* Cujus vox magni animi ad Neronem. *Minaris tu mihi mortem, tibi vero natura.*
- (66) *Et auditu.* Flor. scribit, & *auditis*, quod mellus cum sequentibus cohæret.
- (67) *Exemplum Arria matris.* Nupta hæc Cæcinæ Pæto, mortis exemplum & solatium marito fuit. Vide Plinium Epist. 3, 16. *Filia communi.* Fannia, de qua vide eundem Plinium Epist. 7, 19.
- (68) *Obversis in Demetrium.* Multa desunt huic libro, & Neronianæ historiæ; adventus scil. Tiridatis in urbem, conjuratio Vinicianæ, motus Vindicis, aliaque, digna, quæ a magno auctore tradita legeremus, nisi injuria temporum invidisset.



ERRATA CORRIGE.

Pag. 313. lin. 16. cuivis,	cuivis
315. 39. miminit	meminit



A

CTAVIUS

o Scriboni

Julia

Uxor


, M. Vips

Agripp


Agrippin


Uxor

Germani









DEC 7 1939

